

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Orationum Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

M Tvllii Ciceronis Divinatio In C Verrem Sive De Constitvendo Accvsatore
Oratio IV

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)

M. TVLLII. CICERONIS DIVINATIO. IN. C. VERRREM

S I V E

DE. CONSTITVENDO. ACCVVSATORE

O R A T I O . I V

SI QVIS uestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis, iudicijsq. publicis ita sim uersatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc, mutata uoluntate, ad accusandum descendere; is, si mei consilij causam rationemq. cognouerit, una & id, quod facio, probabit, & in hac causa profecto neminem mihi esse praeponendum actorem putabit. Cum quaestor in Sicilia fuisset, iudices, itaq. ex ea prouincia decessissem, ut Siculis omnibus incundam, diuturnamq. memoriam quaesturae, nominisq. mei relinquere; factum est, uti cum summum in ueteribus patronis multis, tum non nullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. qui nunc populati, atque uexati, cuncti ad me publice saepe ue-

nerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemq. susciperem. me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. uenisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut uitam salutemq. totius prouinciae defenderem: sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno praetore per triennium pertulisse: rogare, & orare, ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret.

EXPLANATIO

SI quis uestrum, iudices, & qui de constituendo accusatore iudicabant, eosdem iudicare postea de reo confueuisse, exemplo cognoscimus C. Marcelli: de quo sic infra: Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus. De eodem autem lib. IV. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem. Iudicabant adhuc soli senatores ex lege L. Sullae; qui & in equestrem ordinem, & in plebem, quia contra se pro Mario pugnauerant, uictor acerbe in primis, adempta etiam iudicandi potestate, animaduertit. hoc autem anno a L. Aurelio Cotta praetore lata lex est de iudicijs inter tres ordines communicandis. AVT eorum, qui adsunt, & iudicia fiebant in foro, spectante, & audiente populo, praesertim ubi orator clarus eloquentiae fama causam ageret. MIRATUR, & non inutilis est ratio occupandi, quae uidentur obstare: quae ^{cap. 1. lib. 1. 15} dicitur. quod notauit Quinctilianus lib. IV. cap. 1. Tot annos & causa Verris acta est Cn. Pompeio Magno, M. Crasso cos. ad hos consules a L. Sulla, Q. Metello cos. quo anno primam causam publicam egit pro Sex. Roscio, undecim numerantur anni: si duos comprehendamus, unum, quo Sulla, & Metellus, alterum, quo Pompeius, & Crassus consules fuere: sin utrumque excipimus, quod mihi quidem non uidetur: utroque enim Cicero causas publicas egit; anni nouem erunt. e quibus biennium si demas, quo Cicero in Graecia fuit, & annum, quo quaestor in Sicilia: sex relinquentur, quibus Cicero in causis, iudicijsq. publicis uersatum se dicit, nam, etsi libro de Claris orat. ita scriptum reliquerit: Cum igitur esset in plurimis causis, & in principibus patronis quinquennium fere uersatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen ueni aedilis designatus cum designato consule Hortensio: non tamen ibi totum tempus significat, quod agendis causis ab adolescentia dederat, sed illud tantum, quo, reuersus e Sicilia, (reuertit autem L. Octauio, C. Aurelio Cotta cos.) uersatus est in principibus patronis. quod eo patet dilucidius, quia Cicero, Quinquennium fere, dicit. nam ab Octauio & Cotta cos. quo anno, ut dixi, redijt e Sicilia, ad Pompeium, Crassumq. cos. anni sunt integri quattuor. quibus addita duorum annorum parte, eius, quo redijt e Sicilia, & eius, quo Verrem accusauit, quinquennium fere fiet. IN CAUSSIS, iudicijsq. publicis & Iudicium publicum Iustinianus definit, cuius actio cuius de populo permittitur, tum scilicet, cum resp. laesa est, ut in crimine maiestatis, ambitus, repetundarum, peculatus, inter sicarios, quo parricidium includitur, ueneficij, de ui publica. Atque in eo Iustiniani loco adscribit acuti uir ingenij, summaeq. doctrinae: Publica ergo iudicia inde nomen trahunt, quod patent omnibus. Et subiungit: Eadem ratione popularia iudicia sunt publica. ex quo efficitur, ut alia sint iudicia publica ciuilia, alia criminalia. Idem in suis Paratitlis, Populares, inquit, actiones, & publica iudicia sunt: sed in usu popularia plerumque dicimus ciuilia siue forensia, publica criminalia, quae ex populo quilibet subscribens in crimen iure ordinario intendere potest in poenam certam, & legitimam. Video tamen esse, qui hanc Iustiniani sententiam in dubium uocarit; qua ratione adductus, mihi, non admodum acuto, parum constat. negat enim publici iudicij nomen inde natum, quod

tū, quod cuius de populo liceat experiri: potius ab eo deducit, quia causa publica sit, idest, quia cuius de populo iniuriam acceperit. Quasi uero, cum hoc dicit, Iustiniani opinionem resellat. uerbis enim differunt, re ipsa, ut ego arbitrator, consentiunt. quando enim cuius de populo facta iniuria est. id autē quod Iustinianus de publico iudicio dixit. nimirum, quando cuius de populo facta iniuria est. id autē accidit, cum resp. laeditur. laedi enim non potest, nisi simul laedantur omnes. quod si ex hoc illud, idest, si ex publica iniuria priuata sequitur actio: cur in eo falli Iustinianum existimem, quia spectauit id, quod sequitur, omisit, quod antecedit: isto sane modo tollantur enthymemata, quia semper aliquid omitunt, unde etiam nomen acceperunt. At lege Laetoria, in eos lata, qui adolescentes circumscriptissint, publicum iudicium rei priuatae constitutum est. Quid refert? priuata illa fuit iniuria: sed quia, decipere incautam aetatem, graue scelus uisum est, accusandi iure neminem excludi, item ut in ijs criminibus, quibus uniuersa resp. laedebatur, populo iure placuit: nec coepit esse, Laetoria lege lata, publica res, quae priuata antea fuerat, ut iisdem interpretantur: sed priuatae rei coepit esse publicum iudicium. quod ipsa quoque lib. III. de Nat. de. Ciceronis uerba perspicue demonstrant. Atque id tamen institutum in rep. Iustiniani temporibus obseruatum uix crediderim. proditum quidem, unde suspicari liceat, nihil uideo. quo uerecundius, ac timidius ad ea reprehendenda, quae uel ipse, uel, ut creditur, eius nomine spectatae sapientiae uiri litteris mandanda censuerunt, accedere nos decet. Existitere alij, qui non definitionem, sed etymologiam a Iustiniano tradi iudicauerunt: ipsi tamen de publico iudicij nomine non unam, ut in re certa, sed quattuor, ut in dubia, causas attulerunt: primam, quae leges eae, quibus publica iudicia constituta sunt, publicae dicantur: alteram, quia populi ipsius cognitio & animaduersio erat prius temporibus, auctore Pomponio cap. 2. de Orig. iur. tertiam, quia maxime ad remp. pertinet eorum facinorum uindictio: quartam, quia legibus illis executio, & accusatio publica effecta, idest cuiuslibet e populo permisa est. Quarum, ego, causarum quae sit maxime probabilis, non disputo: hoc dico, quae cum eo, quod a Iustiniano scriptum legimus, pugnet, earum, ut mihi quidem uideretur, esse nullam. **VERSATVS**, & assiduitas quaedam ostenditur hoc uerbo. **LAESERIM**, & accusauerim. Laedere enim dicitur, qui oratione detrahit, aut inuehitur in aliquem: ut lib. II. Te, omnium Siculorum patronum, una Mamertina ciuitas, socia furtorum, ac flagitiorum tuorum, publice laudat, ita tamen nouo more, ut legati laedant, legatio laudet. In ep. ad Lentulum: Cum me disputantem, non laceffentem, laessisset, exarsi, Pro Fonteio, & Phil. X. Laedere, Laudare, opponuntur. **SVBITO**, & praeter consuetudinem meam. **NVNC**, & annos natus xxxvii. decet enim adolescentes accusatio, potius quam uiros: & inter illa adolescentium officia, quae ualeant ad gloriam adipiscendam, accusationem Cicero numerat lib. II. Off. Accusauerat autem L. Crassus C. Carbonem annum agens xix, C. Caesar Cn. Dolabellam annum xxi. Tacitus in dialogo de Orat. **AD accusandum descendere**: & habitum rationem loci, nam ex collibus, in quibus habitabant ingenui ciues, praesertim nobiliores, descensio erat in forum, ubi iudicia fiebant. propterea saepe hoc uerbum usurpat Cicero, ut lib. III. in Verrem. Et in hoc homine saepe a me quaeris Hortensi, quibus inimicitijs, aut qua iniuria adductus, ad accusandum descenderim. Phil. II. Hodie non descendit Antonius. Phil. XII. Consul se cum praesidio descensurum esse dixit. Phil. XIV. Scitis enim, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me cum fascibus descensurum fuisse. Pro Cluentio: Quod certissimis criminibus & testibus fretus ad accusandum descenderim. Pro Murena: Si quis hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset. Pro Coelio: Sic constituētis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui, utrum uellet, liceret. In ep. Coelij: Sine ullo subscriptore descendit, & Tuccium reuini fecit. Horatius ode 1. lib. III. Carn. Descendat in campum petitor. Asconius in argumento pro Mil. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit, se postero die cum praesidio descensurum. **CAVSSAM**, & rationemque adiungitur ad causam ratio, quia causa, quae non probetur, esse potest, ratio non potest: recte enim fit, quod ratio tuetur, ac probat. **VNA**, & uel, Vna mecum; uel, Vna ad res duas, quae subiunguntur, & ad duo uerba, Probabit, Putabit, referatur: ut sit: Vna & probabit, quod ad accusandum descenderim, & auctorem hac in causa non modo Q. Caecilium, qui mecum contendit, sed neminem profusus mihi esse praeposendum putabit. **CVM quaestor in Sicilia fuissem**, & ridenda potius, quam resellenda eorum opinio, qui putant Ciceronem in urbe primum, deinde in Sicilia quaesturam gessisse: quasi per biennium quaestor esse potuerit. mos enim fuit, ut quaestores designati fortirentur, quae cuiusque cura uel in urbe, uel extra urbem in magistratu futura esse. iuuisse autem statim initio magistratus quaestorem Ciceronem in Siciliam, Plutarchus in eius uita significat: nec ulla quaesturae eius urbanae actio, nulla umquam oratio nominatur: cum & consul Murenam, & praetor Cluentium defendit, Maniliam quoque rogationem suaserit. Restat illa dubitatio, potuerit ne Cicero duobus praetoribus in provincia quaestor esse, Sex. Peducaeo, auctore Pediano, & M. Curtio, ipso auctore Tullio: qui ait in ea post red. in sen. iam T. Fadius, qui mihi quaestor fuit, & M. Curtius, cuius ego patris quaestor fui, studio, amore, animo huic necessitudine non defuerunt. De qua dubitatione homines eruditi, optimeque de litteris meriti, cum in suis libris aliquid attigerint; mihi tamen, ut, quod sentio, dicam, id, quod opinantur, haud satis probant. nam nec in provincia quaestor, nisi potestas prorogatur, ultra annum esse; nec duo praetores, duo ue proconsules eodem anno eandem provinciam administrare possunt. At Cicero nec ultra annum quaestor in Sicilia fuit: & duos tamen, nisi mentitur Asconius, quod equidem non arbitrator, praetores habuit. Hoc ipsum est, unde ego me non facile explico, nam, si

nam, si dicam, Ciceronem dimidium anni in Sicilia fuisse Peducaeo praetore, ne Asconio fide abrogem; & dimidium alterius Curtio; ne testimonium Ciceronis infirmem: ualde mihi uidear errare. sic enim necesse erit, fortitum iam Siciliam Ciceronem sedisse per sex menses in urbe, prouinciali munere neglecto. citius crediderim e Sicilia decessisse Peducaeam ante exitum anni, aliqua nobis obscura causa, senatu permittente, & ei statim Curtium successisse: ita Ciceronem eodem anno duobus praetoribus quaestorem fuisse. quam difficultatem (nondum enim ipse mihi plane satisfacio) miror a Pediano animaduertam non esse. *VT Siculis omnibus iucundam, diuturnamq. memoriam quaesturae, nominisq. mei relinquerem.* & in oratione pro Plancio, & Plutarchus. *IN ueteribus patronis multis?* Marcellis maxime, ortis ab eo, qui Syracusas cepit, & seruauit. sic Allobrogum ciuitatem *Q. Fabij Sangae* patrocini uti solitam, scribit Sallustius: credo, quod eos *Q. Fabius Maximus* uicerat, a quibus etiam Allobrogici cognomen accepit. fuit enim haec Romanorum ducum humanitas, ut, quos bello superassent, in clientelam acceptos perpetuo tuerentur. quae consuetudo tamquam hereditas quaedam ad posteros etiam pertinebat. quod Cicero ipse lib. I. *Offic.* narrat. *VT cum?* usitata fuerunt, *Cum, tum:* cum, tum etiam: cum, tum uero: tum, tum, tum, tum etiam. nec maiorem aut prius posteriore, aut posterius priore uim habuit. *NON NVLLVM etiam in me?* minuit arrogantiam, quia ueteribus Siculorum patronis, nobilitate, & uirtute claris, quodam modo se comparare coeperat. *QVI nunc populati, atque uexati cuncti ad me publice saepe uenerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemq. susciperem.* & totam hanc sententiam oratorie amplificat. cum enim dicit, *Populati, atque uexati,* ostendit se misericordia moueri debuisse: cum subiungit, *Cuncti, uniuersae Siciliae uoluntate:* cum, *Publice, auctoritate ciuitatum:* cum, *Saepe, precibus, & studio:* cum, *Fortunarum omnium, uita, ac salute.* dicit enim infra: Venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut uitam, salutemq. totius prouinciae defenderem. *Populati:* patiendi significatione: ut paullo post: *Populatae, uexatae,* funditus euersae prouinciae. *Defensionemq. susciperem:* uita accusatoris nomen: ut infra: *Quae uidetur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio, est existimanda.* defendo enim Siciliam totam. *SAEPE?* cum esset in Sicilia, & cum inde Romam decederet. nam in sola decessione polliceri saepe non potuit. *ESSE pollicitum,* & fidem igitur implorabant: quam non praestare, flagitium est. *SAEPE ostendisse?* & hoc ad uniuersum quaesturae tempus pertinet, non ad illud solum, quo decedens orationem habuit Lilybaei. *Ostendisse, ualet, spem uerbis attulisse, ut in ep. ad Lentulum:* Is, haec regia causa excepta, ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit. Et ad Varronem: *Et si munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.* *QVO tempore?* quod ad sententiam attinet, otiosum est, *Tempore, sed profecto, si quid ornat, otiosum id non est.* ornat enim, aut saltem blanditur auribus eiusdem uerbi repetitio: ut infra: *Cum illius diei mihi uenit in mentem, quo die, citato reo mihi dicendum sit.* Et lib. II. Erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperire cupiebam. Lib. IV. *Domus erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent.* Lib. V. *Scitote esse opidum in Sicilia nullum, quo in opido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset.* Lib. II. *Off. Valetudo sustentatur notitia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quae res aut prodesse soleant, aut obesse.* Ad *Q. fr. lib.* *Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo.* *VITAM, salutemq. totius prouinciae?* quod supra dixit: *Suarum fortunarum omnium.* *NE DEOS quidem?* nedum homines, ad quos confugerent in eiusmodi tempore. Act. I. *Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre, atque antiquo artificio factus uideretur, reliquit.* *EORVM simulacra?* quasi, sublatis deorum simulacris, dii simul ipsi tollerentur: non quod re uera sic esset: sed quod, opem deorum imploraturi, ad eorum simulacra confugere solerent. quod hodie quoque fit. *LXXVRIES in flagitijs,* & quattuor ab eo, qui multis imperat, requiruntur, continentia, humanitas, benignitas, comitas. pro his quattuor uirtutibus totidem eis contraria uitia contulit in Verrem: ut etiam lib. II. *Cum perferre non possent luxuriam, crudelitatem, auaritiam, superbiam.* *EAS omnes?* mire auget querellam Siculorum. nam & *Omnes, dicit; & Hoc uno praetore; & Per triennium; & Pertulisse:* quae uim habent singula. *Hoc uno praetore?* cum unus praetor esse non solet per triennium. sed Verres, expectatione Atrij successoris, qui non successit, ultra legitimum tempus, prorogato imperio, Siciliae praefuit. Praetorias prouincias, uideo esse qui credant, annuas ex ea lege fuisse, cuius mentio fit Phil. I. sed ea lex a C. Caesare post euersam remp. lata est, amplius uiginti annis post accusationem Verris. Quid igitur? non annuae, cum accusatus est Verres, praetoriae erant prouinciae? Erant, itemq. consulares, sed ueteribus legibus. Quid igitur Caesar tulit? ne praetoriae prorogarentur, consulares autem in alterum dumtaxat annum prorogationem haberent: cum utrarumque prorogatio longior iam esse coepisset, quam & mos maiorum, & reip. ratio postulare. atque hanc legem Cicero ait optima etiam rep. saepius esse flagitamam. *ROGARE, & orare,* & orantis preces plus ad mouendum ualent, quam rogantis. oramus enim, cum suppliciter, & cum quadam reuerentia perimus: rogamus etiam blande, & familiariter. Asconius interpret: *Rogare, ut hominem: orare, ut deos.* iam enim, quibus id facerent, non habebant. Id mihi non placet. Quasi uero Ciceronem, ut causam susciperet, deorum loco Siculi orarent. Concedo, erepta illis a Verre simulacra. quid tum? reliquerit ea Verres: non ideo Ciceronem Siculi orassent? aut quis credat, Siculos, cum Ciceronem rogarent, atque orarent, ad simulacra deorum, sibi adempta, respexisse? quam multos oramus, nihil de dijs cogitantes? ut lib. III. in Verr. *Flentes rogare, atque orare coeperunt.* Et in ep. ad Seruilium: *Te oro, atque rogo, ut eum in reliquijs ueteris*

negotiationis colligendis iuues. Est igitur Otare, non tamquam a dijs petere, sed studiose, ac uehementer petere, quacumque de re, & a quocumque homine petatur. **SUPPLICES** aspernari, & ex persona Siculorum exprimit a se accusationis officium, nam aspernari Siciliam provinciam, contumeliosum est; supplicem, inhumanum. **ME INCOLUMI** qui eos defendere & possem, & deberem. **SUPPLICES** esse & in tali re, nam, in omni re, arroganter diceret.

ORATIO

TVLII grauer, & acerbe, iudices, in eum me locum adductum, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me, atque auxilium expectassent; aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Caecilium, qui praesertim quaestor in eadem provincia post me quaestorem fuisset. quo ego adiumento sperabam hanc a me molestiam posse dimoueri, id mihi erat aduersarium maxime. nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si illum non nossent, aut si iste apud eos quaestor non fuisset. adductus sum, iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, ueteri consuetudine, institutoque maiorum, ut onus hoc laboris, atque officij non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. quo in negotio tamen illa me res, iudices, consolatur, quod haec quae uidetur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. defendo enim multos mortales, multas ciuitates, provinciam Sicilia totam. quamobrem, si mihi unus est accusandus, prope modum manere in instituto meo uideor, & non omnino a defendendis hominibus subleuandisque discedere. quod si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem non haberem; si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantae necessitudinis non intercederet, & hoc, quod facio, me reip. causa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, cuius furta, atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romae denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in iudicium uo-

caretur: quis tandem esset, qui meum factum, aut consilium posset reprehendere? quid est, pro deum hominumque fidem, in quo ego reip. plus hoc tempore prodesse possim: quid est, quod aut populo R. gratius esse debeat, aut socijs exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum sit & populatae, uexatae, funditus euersae provinciae: socij, stipendiarijque populi R. afflictj, miserj, iam non salutis spem, sed exitj solatium quaerunt. qui iudicia manere apud ordinem senatorium uolunt, queruntur accusatores se idoneos non habere, qui accusare possunt, iudiciorum seueritatem desiderant. populus R. interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aequum in rep. atque illam ueterem iudiciorum uim grauitatemque requirit. iudiciorum desiderio tribunicia potestas effragitata est. iudiciorum lenitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur. iudicium culpa, atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo uideri solebat, id nunc poscitur; id iam populare, atque plausibile factum est, in hac libidine hominum nocentissimorum, in populi R. quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitraret, ut homines idonei, atque integri causam reip. legumque susciperent; fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse reip. subleuandae, quae maxime laboraret. nunc, quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstrauj; dicendum necessario est de contentione nostra; ut in constituendo accusatore, quod sequi possitis, habeatis.

EXPLANATIO

TVLII grauer, ac acerbe, & auget oratorie significationem molestiae suae: nam grauia multa sunt, quae non acerba: acerbum uero si quid est, idem non modo graue, sed ita graue, uix ut ferri posse uideatur. graue autem, acerbumque erat Ciceroni, uel supplices aspernari Siculos, sui amantissimos, quibus praesertim saepe pollicitus esset, commodis eorum se non defuturum; uel, cum ad eam actatam pro reis, non contra reos, dicere solitus esset, eorum rogatu ad accusandum descendere. Alconius distinguit: grauer, quod accusare nollet: acerbe, quod Siculorum iniurijs affligeretur. Cum utrumque Cicero coniunxerit ad indicandum dolorem suum, ex difficili, dubiaque deliberatione susceptum. **EXPECTASSENT**; & promissis meis aducti. **TEMPORE, atque officio coactus**; tempore Siculorum, officio meo. **Q. CAECILIUM**; Nigrum, domo Siculum, ut ait Pedianus, libertinum hominem, ut Plutarchus. **QUAESTOR**; Verre praetore. **IN EADEM provincia**; ut eum aequum, ac me, nosse potuissent. **POST ME**; ut eius memoria recentior apud eos deberet esse. **QUO EGO adiumento**; secundum argumentum in Caecilium, a Siculorum uoluntate. nam primum est, quod ad se cuncti, opem, atque auxilium petentes, publice saepe uenerint. **SI ISTUM non nossent**, & nam quia nouerant, nec probitati considerare, nec in eius eloquentia uictoriae spem locare posse uidebantur. **AUT SI iste apud eos quaestor non fuisset**, & amare in Caecilium. nam quaestura, innocenter gesta, conciliat animos provincialium, & uinculo quasi quodam beneuolentiae coniungit. quod Siculis Cicero significauerat, cum diceret: Qui praesertim quaestor in eadem provincia post me quaestorem fuisset. **OFFICIO**, & quod ijs a me deberi uidetur, apud quos quaestor fui. **FIDE**, & quia saepe sum pollicitus, me

tas, me commodis eorum non defuturum. MISERICORDIA, § propter acerbissimas iniurias, quas Verre praetore per triennium pertulissent. MVLTORVM bonorum exemplo, § L. Crassi, M. Antonij, clarissimorum oratorum, L. Luculli, & Marci fratris eius, L. Caesaris Strabonis, P. Sulpicij, L. Fufij: quos nominat lib. II. Off. VETERI consuetudine, institutoq. maiorum, § quos imitatione dignos esse, nemo negat. in ijs, ut ceteri mittantur, M. Cato ille Censorius accusauit Ser. Sulpicium Galbam. LABORIS, atque officij § quia laboris, molestum esse poterat: sed, quia simul officij, non molestum. lib. III. in Ver. Hoc ego plus habeo, quam qui ceteros accusarunt: si onus est id appellandum, quod cū laetitia feras, ac uoluptate. NON EX MEO, § non quia persequar iniurias meas: non enim ego laesus a Verre sum, aut mihi ullae cum eo priuatim intercedunt inimicitiae. QVO in negotio tamen § hactenus probauit, recusare se accusandi onus non potuisse: nunc ostendere conatur, potius defendere se, quam accusare. Laudat autem ipse lib. II. Off. eas accusationes tantum, quae uel reip. causā, uel patrociniij suscipiuntur: & huius accusationis in Verrem utitur exemplo. VNVS § confert unum cum multis: inde colligit argumentum. Si unum accuso, defendo multos: quid causae est, quin actio mea defensio potius, quam accusatio, uocetur? QVOD si hanc causam, § primam accusationis causam ab officio, fide, misericordia deduxit; alteram sumit ab ipsa rep. quae nunc exponitur. TAM idoneam, § hoc ad aequitatem causae refero: Tam illustrem, ad prouinciae Siciliae nobilitatem: Tam grauem, ad maxima Verris crimina. NON petissent, § qui & petierunt, & cuncti, & publice, & saepe. CAUSSA tantae necessitudinis § orta ab eius quaestura: in qua negotiatoribus comem, mercatoribus iustum, municipib. liberalem, socijs abstinentem, omnibus in omni officio diligentissimum se praebuit, quod in ea pro Planicio, alibi etiam simile aliquid, de se ipso scriptum reliquit. SINGVLARI cupiditate, audacia, scelere § summae improbitatis descriptio quasi per gradus ad summum perducitur. nam, qui cupit, is si non audeat, nihil turpe committit. si uero ad cupiditatem accedat audacia, tum facile scelus erumpit. Cupiditate: uerbum medium, quod ad bonas, malasq. res aequae accommodatur. Audacia: proprie de malis rebus. Scelere: generale de omnibus uitijs C. Verris, supra nominatis, luxurie in flagitijs, crudelitate in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs. Eiusdem generis est id, quod proxime sequitur, Furta, atque flagitia. nam, cum unum Verris crimen, furta, nominasset, subiunxit, Flagitia, non luxuriam tantum notans, de qua dixit supra, Quas res luxuries in flagitijs efficere potuisset, sed omnia simul Verris crimina comprehendens. Facit hoc interdum Cicero, ut ex parte totum intelligat. nam, ut flagitium a luxurie ad omnia crimina, sic scelus ab ea culpa, quae committitur in deos, ad nefaria quaeque deducit, quod, si cui propria sceleris significatio in dubium uenit; audiat haec in Verrem coniecta lib. IV. Vnum hoc crimen uidetur esse, & a me pro uno ponitur: de Mercurio Tindaritano plura sunt: sed, ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum: quod signum a socijs pecuniae magnae sustulit. Est peculatus: quod publice populi Romani signum, de praeda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitauit auferre. Est maiestatis, quod imperij nostri gloriam, rerumq. gestarum monumenta euertere, atque asportare ausus est. Est sceleris: quod religiones maximas uiolauit. Est crudelitatis: quod in hominem innocentem, in socium nostrum, atq. amicum, nouum, ac singulari supplicij genus excogitauit. PRAEDITVS § usurpatur tam de malis, quam de bonis rebus. IN ACHAEA, Asia, Cilicia, Pamphylia § haec quattuor prouinciae non omnes ad imperium Dolabellae proconsulis, cum quo Verres legatus profectus est, sed Cilicia tantum, & Pamphylia pertinebant: ut Act. I. Vexatorem Asiae, atque Pamphyliae. Nam interdum Asiae nomen usurpat pro ipsa Cilicia: ut etiam lib. I. Sese, cum esset trierarchus, & Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, iussu Dolabellae fuisse una cum isto Sami. Et lib. III. Qui sociorum iniurijs, prouinciarumq. incommodis doleat, is in te non expilatione Asiae, uexatione Pamphyliae, squalore & lacrimis Siciliae concitetur? Ciliciae uero praefuisse Dolabellam, Cicero docet lib. I. in Verr. Postquam, inquit, Cn. Dolabellae Cilicia prouincia constituta est; o dii immortales, quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnauit? Vellem quidem hoc in loco paullo uberior, ac dicam etiam paullo accuratior Pediani fuisset interpretatio. nam, quod ait, Verrem in his quattuor prouincijs legatum & proquaestorem Dolabellae flagitia multa commisisse: id ex parte uerum, ex parte falsum est: uerum, si de legato Verre; falsum, si de proquaestore accipiatur. nam legatus erat, non proquaestor, cum per Achaiam, Asiamq. transiuit, in Ciliciam cum proconsule suo Dolabella proficiscens, proquaestor autem fuit aliquanto post, quam in Ciliciam peruenit, Malleolo quaestore mortuo. ROMAE denique, ante oculos omnium, § argumentum. nam, si Romae, ante oculos omnium improbus, praesertim cum praetor esset urbanus, quanto magis apud exterarum nationum, longe ab oculis nostris? procliuiiores enim ad peccandum sumus, impunitate proposita. MAXIMA, turpissimaq. § quaedam maxima, quae necesse est eadem esse turpissima: quaedam si non maxima, saltem turpissima. ME agente § me accusante. Honestiore uocabulo rem eam significat, quae, ueretur, ne reprehendatur: ut supra: In hac causa neminem mihi esse praeponendum auctorem putabit. NOSSEMVVS, § ut explorata, ac certa. uerbo enim uti uoluit dubitationem excludente. MEVM factum, aut consilium § & accusationem ipsam, & accusandi causam. Accusationis nomen, ut odiosum, ubique uitat. itaque, Meum factum, dixit, & supra, Id, quod facio. PRO deum, hominumq. fidem, § utrum admiratur, an affirmat: utrumque simul: & in utroque testes adhibet deos, atque homines: quorum fidei non credere, nefas est. Hoc tempore § quo uel non accusantur, qui socios nostros populantur, uexant, euertunt; uel absoluuntur. Hoc enim tacite significat, & idem infra paullo apertius. POPVLO Romano § non contento senatorijs iudicijs.

Infra: In populi Romani quotidiana querimonia, iudiciorum infamia. *MAGIS accommodatum sit?* quam ut homines idonei, atque integri causam reip. iudiciorumq. suscipiant. Hoc enim latius parere uoluit, quam ut aut de se ipso tantum actore, aut de uno reo C. Verre acciperetur. paullo post. *POPVLATAE, uexatae, funditus euerfae?* saepe amplificat orator. amplificatio autem uel simplex est, uel duplex: simplex, ut hic, & in ep. ad Balbum: Omnia promissa, confirmata, certa, & rata sunt. Ibidem: Vidi, cognoui, interfui. Lib. III. in Verr. Qui quaestor consulem suum, consilij commissis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit. In Catil. II. Abijt, excessit, euasit, erupit. Eadem ex coniunctis, ut infra: Siciliam prouineiam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum ciuitates uastasse, domos exinanisse, sana spoliasse dicitur. Et subiungit: Me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causae totius esse uoluerunt. Et act. I. in Verr. Depeculatore aerarij, uexatorem Asiae, atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem, atque perniciem prouinciae Siciliae. Et in Catil. I. Furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, uobis, atque huic urbi ferrum, flammamque minitantem. Atque huius quidem generis legentibus Ciceronis orationes prope innumerabilia occurrunt. Duplex illa pro Milone: Est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus. *SOCIJ, stipendiarij?* stipendiarij distinguuntur a socijs, non quod ipsi quoque inter socios non essent; sed, ut arbitror, quia condicione omnium deterrima. fuere enim sociorum tria genera, immunes, uectigales, stipendiarij. id mihi uideor ex ipso Cicerone posse colligere. nam lib. IV. in Verrem: Maiores, inquit, nostri facile patiebantur haec esse quam plurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatisissimi, florentissimiq. essent. Hoc de socijs immunibus dici, quis non putet? cum sequatur: Apud eos autem, quos uectigales, aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant illi, quibus ea iucunda sunt, quae nobis leuia uidebantur, haberent haec oblectamenta, & solaria seruitutis. Haec Cicero: qui & in ea pro Balbo distinguit stipendiarios a foederatis. Vectigal autem exigebatur ex decuma, portorio, pecore publico: unde publicani, qui exigebant, decumani, portitores, pecuarij uocati: eorumq. tota ratio, scriptura, ut ait Asconius: de quo postea considerabimus. Stipendium grauius, quam uectigal. non enim certum, & inaequale, sed arbitrio populi Romani pendebatur. et in eadem prouincia ciuitates erant aliae uectigales, aliae stipendiariae. utriusque generis apud Plinium leguntur multae. *NOX salutis?* quam penitus amiserunt. *EXITII solatium?* quod solatium? ut condemnentur ij, quorum scelere afflicti perditij. sunt. *QUERVNTVR accusatores se idoneos non habere.* ut infamia se liberent, culpam autem in accusatores conferant. *Idoneos:* infra referri uideatur ad ingenium, diligentiam, eloquentiam, non ad probitatem. dicit enim: Ut homines idonei, atque integri causam reip. legumq. susciperent. Hic significantur omnia, quae ab accusatore postulantur: ut act. I. in Verrem, omnia, quae a iudice: cum ait: Hic si quid erit offensum; omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur. *MVLTIIS incommodis,* ademerat Sulla tribunis pl. potestatem capiendi alios magistratus, quam eis postea C. Cotta consul restituit. ademerat & ius ferendarum legum, intercedendi tamen reliquerat. qua de re sic Caesar lib. I. bel. ci. Nec tribunis pl. sui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur. Idem paullo post: Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse; Pompeium, qui amissam restituisse uideatur, bona etiam, quae ante habuerat, ademisse. Transiit idem Sulla ad ordinem senatorium iudicia, reiectis equitibus, qui lege Sempronia C. Gracchi cum senatoribus iudicabant. Ademit etiam populo comitia sacerdotum omnium, & eos collegiorum arbitrio cooptari uoluit, ut augures ab auguribus, flamines a flaminibus. *IUDICIORVM desiderio tribunicia potestas efflagitata est.* eam potestatem hoc ipso anno consul Pompeius restituerat. Efflagitata est autem a populo, ut essent tribuni pl. qui senatoribus iudicibus, male iudicantibus, diem ad populum dicerent. exemplum exstat in oratione pro Cluentio L. Quinctij tribuni pl. qui C. Iunium, propterea quod minus honeste iudicasset, in concionem arreptam condemnauit. Et act. I. in Verr. Contemnimur, inquit, a populo Romano, despiciuntur; graui, diuturnaq. iam flagramus infamia. neque enim aliam ob causam populus Romanus tribuniciam potestatem tanto studio requisit: quam cum poscebat, uerbo illam poscere uidebatur, re uera iudicia poscebat. neque hoc Q. Catulum; hominem sapientissimum, atque amplissimum, fugit: qui, Cn. Pompeio, uiro fortissimo, & clarissimo, de tribunicia potestate referente, cum esset sententiam rogatus, hoc initio est summa auctoritate usus: patres conscriptos iudicia male, & flagitiose tueri: quod si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere uoluissent, non tantopere homines fuisse tribuniciam potestatem desideraturos. *LEUITATE?* improbitate, non dixit, ut iudicum animos uerbo molliore minus offenderet. Leuis autem iudex est, qui facile mouetur, & de recta iudicandi uia deflectit. sic contra, Grauis iudex, in tenendo iure firmus, & constans. *ORDO quoque alius?* equester: sed, praeter equestrem, additus est tertius, tribuni aerarij, Aurelia lege. Et hic, ut leuius afficiantur iudices, non dicit, Ordo alius, (excluderentur enim iudicij senatores) sed, Ordo quoque alius: id est, qui uobiscum simul iudicet. *AD RES iudicandas?* modus loquendi. act. I. in Verrem: Alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur. Ibidem: Quod si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere uoluissent. Lib. II. Quos ij, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur res iudicare oportere. *Ubi an-*

tra, Reos indicare, mendose legebatur. Phil. I. Viri fortissimi, atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. Coelius ad Cic. In hac discordia uideo Cn. Pompeium senatum, quiq. res iudicant, secum habiturum. Et alibi saepe. **IUDICVM** culpa, atque dedecore? hic minus parcat iudicibus, quam supra: quia subiungit, quasi medicinam uulneris, censoriae spem reuocandae potestatis: quam senatui gratiorem fuisse, quam populo, sequentibus intelligitur: uel quia legerentur & senatu; uel quia, moribus cum praesentent, unde Magistri morum uocabantur, & in omnes pro cuiusque culpa animaduertent, maiorem populo, qui est ad peccandum procliuior, quam senatui, metum iniiciebant. **ID NUNC** poscitur, & aliquot annis intermissum, restitutum est hoc anno a Pompeio, & Crasso cos. censoresq. creati Gellius & Lentulus. **TOTIVS** ordinis? senatorij, penes quem iudicia sunt. **IDONEI**, atque integri? idonei, ad agendum; integri, ne corrumpantur. nam in eo, qui accusat, simul cum eloquentia requiritur integritas. **REIP.** & ut prouinciarum, sociorumq. salutem, condemnanda hominum nocentissimorum libidine, consulatur. **LEGVMQ.** & poenas nocentibus irrogantium. **FATEOR**? uide modestiam, uel potius artificium oratoris. qua enim in re sibi laudem deberi, proximo ostendit superiore membro, in ea re subiungit, Fateor: quod est uerbum excusantis, ac tuentis id, quod ueretur, ne cui turpe uideatur. et sequentibus quoque uerbis accusationis nomen euitat, causam rei pro ipsa re subiiciens. poterat enim sententiam ita concludere: Fateor me salutis omnium causa ad accusandum descendisse: sed, ut dixi, maluit causam, cur accuset, substituere: & hoc modo concludit: Fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse reip. subleuanda, quae maxime laboraret. sic lib. I. in Verrem: Mihi uideor magnam, & maxime aegram, & prope depositam reip. partem suscepisse, neque in eo magis meae, quam uestrae laudi, existimationiq. seruasse. **QVIBVS** rebus adductus? quattuor est adductus, officio, fide, misericordia, reip. causa. **NECESSARIO**? excusari uult necessitate, propter ea, quae cum de se ipso, tum contra Caecilium maxime, dicturus sit. **QVOD** sequi possitis, & utroque nostrum cognito, habebitis, quod sequi possitis in accusatore deligendo.

O R A T I O

EGO sic intelligo, iudices: cum de pecunijs repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere; quem maxime uelint actorem esse, quibus factae esse dicantur iniuriae; & quem minime uelit is, qui eas iniurias fecisse arguatur. in hac causa, iudices, tametsi utrumque esse arbitror perspicuum, tamen de utroque dicam, & de eo prius, quod apud uos plurimum debet ualere, hoc est de uoluntate eorum, quibus iniuriae factae sunt, quorum causa iudicium de pecunijs repetundis est constitutum. Siciliam prouinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum ciuitates uastasse, domos exinansisse, sana spoliata dicitur. adsunt, queruntur Siculi inimici: ad meam fidem, quam habent spectatam iam, & diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per me a uobis, atque a populo R. legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causae totius esse uoluerunt. **Virum, Q. Caecili,** hoc dices, me non Siculorum rogatu ad causam accedere, an optimorum fidelissimorum sociorum uoluntatem apud hos grauem esse non oportere? si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari uult, Siculos hoc a me non petisse: primum causam inimici tui subleuabis; de quo non pra-

iudicium, sed plane iudicium iam factum putatur, quod ita percrebuit, Siculos omnes actorem suae causae contra illius iniurias quaesisse. hoc si tu, inimicus eius, factum negabis, quod ipse, cui maxime haec res obstat, negare non audeat: uideto, ne nimium familiariter inimicitias exercere uideare. deinde sunt testes uiri clarissimi nostrae ciuitatis: quos omnes a me nominari non est necesse: eos, qui adsunt, appellabo: quos, si mentirer, testes esse impudentiae meae minime uellem. scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse uideo, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atque praesidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta est. hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, sed ita saepe, & ita uehementer esse petitum, ut aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. sed quid ego his testibus uitor? quasi res dubia, aut obscura sit. adsunt homines ex tota prouincia nobilissimi, qui praesentes uos orant atque obsecrant, iudices, ut in actore causae suae deligendo uestrum iudicium a suo iudicio ne discrepet. omnium ciuitatum totius Siciliae legationes adsunt, praeter duas ciuitates: quarum duarum si adessent, duo crimina uel maxima minuerentur, quae cum his ciuitatibus C. Verri communicata sunt.

E X P L A N A T I O

CVM DE pecunijs repetundis nomen cuiuspiam deferatur, & quaerat aliquis, cur hoc uno de crimine, non simul de ambitu, de maiestate, & reliquis: potest enim, delato cuiuspiam nomine, non tam de repetundis, quam de quouis alio crimine, oriri certamen inter eos, qui accusare cupiunt: ut inter P. Sullam, qui Gabinij nomen de ambitu detulerat, & L. Torquatum: de quo sic in ep. ad Att. lib. IV. Candidati consulares omnes rei ambitus: quem P. Sulla, non dubitans quin foris esset, postularat, contradicente,

tradicante, & nihil obtinente Torquato. Et in ep. ad Q. fr. lib. III. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla. contradixit L. Torquatus, omnibusq. libentibus non obtinuit. Quibus in locis operae pretium est animadvertere, Postulare, & Reum facere, idem esse quod, reum deferre. id quod ex epistola quoque M. Coelii, cuius initium est, Etsi de rep. licet intelligere. Sed, ut ad quaestionem redeam, si de quouis crimine Cicero locutus esset, locum non haberet id, quod sequitur, Quem maxime uelint actorem esse ij, quibus factae dicantur esse iniuriae: quod proprie pertinet ad crimen repetundarum. **NOMEN cuiuspian deferatur**, § nominis delationem sequebatur accusatio. accidebat autem interdum, ut, qui nomen detulerat, non accusaret. Ille nouitius Ligur, ait in oratione pro domo, nomen Sex. Propertij detulit, accusare, alienae damnationis, scelerisq. socius, propter calumniae metum non est ausus. Et in ep. Coelii: Inter postulationem, & nominis delationem uxor a Dolabella discessit. Quo loco uidetur Coelii pro accusatione postulationem usurpasse. Cicero tamen, Postulauit, pro, nomen detulit, interdum dixit: ut monui supra. **CVI potissimum delatio detur**, § cuius delatio probetur, id est, quis accusator constituatur. nam, delatione probata, sequitur accusatio. **VT RVM QVE esse arbitror perspicuum**, § nam & Siculi, & Verres ipse, suae uoluntatis non obscura signa dederant. de Siculis dictum est supra; de Verre sic infra: At enim solum id est, ut me Siculi maxime uelint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari uelit. ecquis umquam tam palam de honore, tam uehementer de salute sua contendit, quam ille, atque illius amici, ut ne haec mihi delatio detur? **QVORVM causa** § quia sociorum causa constitutum erat iudicium de pecunijs repetundis. **DOMOS exinanisse**, § a summis ad infima descendit: alibi ab infimis ascendit ad summa, quod utrumq. ualet ad ornandum. Hic igitur a prouincia ad ciuitates, a ciuitatibus ad domos, id est, a toto ad partes, a partibus ad particulas: at supra, ab una iniuria ad multas, a multis ad exitum: cum dixit: Populatae, uexatae, funditus euerse prouinciae. **SPECTATAM iam, & diu cognitam**, § in quaestura. Non satis uidebatur, Spectatam, nisi adderet, Cognitam: quam multa enim spectantur, quae non cognoscuntur. plena uero, minimeq. dubia cognitio est, quae tempore confirmatur. ideo addidit, Diu. **LEGBVS petunt**. § date hoc legibus, non Siculis. **COGNITOREM iuris sui**, § procurator absentem, cognitor praesentem defendit. et uidetur in quacumque re, maxima, minima, procurator fuisse; cognitor in maiore tantum. testem habeo Ciceronem ipsum. nam lib. I. in Verrem, Credit, inquit, ijs equitibus Romanis populus Romanus, qui ad uos antea producti testes, ipsis inspectantibus ab isto ciuem Romanum, qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Ibiq. Pedianus: Hoc genus defensionis in iure Cognitor dicitur, maxime cum de alicuius statu agitur. sic Cicero Siculorum iuris in re maxima cognitor est: equites Romani cognitores eius erant, quem si ciuem Romanum esse testimonio suo probarent, sperabant a turpissimo mortis genere posse liberari. Nam, quod Pedianus dixit, Maxime cum de alicuius statu agitur: habuit rationem eius loci, quem interpretabatur: agebatur enim de statu, & condicione hominis in summo uitae discrimine constituti: sed omnem significationem, quae cadit in cognitoris nomen, haud omnino comprehendit. non enim, ut arbitror, ad statum Siculorum Ciceronem respexisse, cum dixit, Me cognitorem iuris sui, quisquam putabit, sed ad iniurias, quas Verre praetore pertulerant. quamquam Pedianus excusatione prorsus carere non uidetur: aliquam enim significationem excludit, cum ait, Maxime. **NON praeiudicium, sed plane iudicium**? Praeiudicium interdum est signum, & iudicium iudicij futuri. nam, si constat, Siculos omnes actorem suae causae quaesisse: apparet, uniuersam Siciliam a Verre populatam, atque uexatam. interdum est iudicium, quod in uno factum, alteri, qui reus eodem crimine futurus est, uehementer nocet. huius generis est illud pro Cluentio. Quid est, quod iam de Oppianici causa plura dicimus? apud eosdem iudices reus est factus, cum is duobus praeiudicijs iam damnatus esset. Ibidem: Qui ceteros, nullo praeiudicio facto, tamen ex ipsa causa condemnassent; hunc, quem bis condemnatum iam acciperant, liberarent? Paulo post: Quod si hoc uidetis, illo iudicio reum condemnari, praesertim ab istis iudicibus, qui duo praeiudicia fecissent, necesse fuisse: simul illud uideatis, nec esse est, nullam accusatori causam esse potuisse, cur iudicium uellet corrumpere. Eodem sensu Suetonius in Iulio: Quaestor eius in praeiudicium aliquot criminibus arreptus est. **ACTOREM suae causae** § modeste non petisse. Et infra subiungit: Hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, sed ita saepe, & ita uehementer esse petitum, ut aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. Quod tamen ipse omisit, intelligitur. **NIMIVM familiariter** § non ut eum docet, qui accusat. Videto, inquit, ne, cui te inimicum esse profiteris, ei amicus esse uidearis. Idem supra: Causam inimici tui subleuabis. **C. MARCELLVS**: § cum essent alij Marcelli, Siculorum patroni; tamen hic solus nominatur, & quia iudex erat, & quia dignitate praestabat: praetura enim gesserat, & ex praetura in Siciliam cum imperio ierat: quo tempore multa in Siculos officia contulerat. Lib. III. in Verrem: C. Marcelle, te appello. Siciliae prouinciae, cum esses proconsul, praefuisti. Et lib. IV. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuae: ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaq. prouincia recentissima erant, & maxima. Is igitur C. Marcellus pater eius fuit, qui cum L. Paulo consulatum gessit. augurem fuisse, ex lib. II. de Diuin. cognoscitur: & Ciceronis ad eum epistola lib. XV. Collegae, inscripta est. Erat, cum haec Cicero dixit, alter C. Marcellus, cognomine Aeserninus adolescens, quem ab eo, qui iudex hac in causa sedit, diuersum fuisse, ex lib. IV. in Verrem satis patet. **CN. LENTVLVS. Marcellinus**: § Corneliae gentis, qui consulatum gessit cum L. Philippo.

Philippo. tranſiit per adoptionem a Claudijs Marcellis ad Cornelios Lentulos : itaque duobus cognominibus uſus eſt . ideo dixit Pedianus, Marcellum, & Marcellinum, gentiles inter ſe fuiſſe. **QVORVM** quia Marcellinus, item ut Marcellus, a uetere Sicularum patrono, qui Syracuſas uictor ſeruauit incolumes, a M. Marcello originem ducebat. **PRAESIDIO** uirtutem ſignificat. A **ſVO IUDICIO** de me enim iudicant, id quod eorum preces declarant, non modo Caecilium potius, quam me, ſed omnino, praeter me, actorem ſuae cauſae quemquam a uobis non eſſe deligendum. Huc pertinet illud, dictum ſupra in oſtendenda Sicularum uoluntate: Rogare, & orare, ne illos ſupplices aſpernaret, quos, me incolumi, nemini ſupplices eſſe oporteret. **PRAETER duas ciuitates** : Verris praedarum, furtorumq. ſocias : quae non modo contra Verrem legationes non miſerant, uerum etiam pro ipſo miſerant eae ſuere Mamertina, & Syracuſana, de Mamertina ſic lib. IV. Mamertina ciuitas iſtum publice communi conſilio ſola laudat : omnibus iſte ceteris Siculis odio eſt ; ab his ſolis amatur. Et ibidem : Haec ciuitas iſti praedoni, ac piratae Sicilienſi, Phaelis fuit, huc omnia undique deportabantur, apud iſtos relinquebantur : quod celari opus erat, habebant ſepositum, ac reconditum : per iſtos, quae uolebat, in nauem clam imponenda, occulte exportanda curabat : nauem denique maximam, quam onuſtam furtis in Italiam mitteret, apud iſtos faciendam, aedificandamq. curauit. Et paulo poſt : Hinc illa crux, in quam ciuem Romanum iſte, multis inſpectantibus, ſuſtulit : quam non eſt auſus ulquam deſigere, niſi apud eos, quibulcumq. omnia ſclera ſua, ac latrocinia communicaret. De Syracuſana autem ſic eodem libro : Exiſtimabam, ut Romae ex iſtius amicis acceperam, ciuitatem Syracuſanam propter Heraclij hereditatem non minus iſti amicam, quam Mamertinam, propter praedarum, ac furtorum omnium ſocietatem. Et paulo poſt : Reſpondi, neque Romae in conuentu Sicularum, cum a me auxilium communi omnium legationum conſilio petebatur, cauſaq. totius ad me Siciliae deſerebatur, legatos Syracuſanorum aſſuiſſe. Et proxime : Eoſdem Romae fuiſſe legatos, illius adiutores improbitatis, ſocios furtorum, conſcios flagitiorum. **DVO CRIMINA** : unum cum Mamertinis, alterum cum Syracuſanis communicatum . in quo recte Pedianus : Duo crimina, generaliter : nam multa ſunt.

O R A T I O

A TENIM cur a me poſitiſſimum hoc praefidium petierunt ? ſi eſſet dubium, petiſſent a me praefidium, nec ne ; dicerem, cur petiſſent : nunc uero, cum id ita perſpicuum ſit, ut oculis iudicare poſſitis ; neſcio, cur hoc mihi detrimento eſſe debeat, ſi id mihi obijciatur, me poſitiſſimum eſſe delectum . uerum id mihi non ſumo, iudices, & hoc non modo in oratione mea non pono, ſed ne in opinione quidem cuiuſquam relinquo, me omnibus patronis eſſe praepoſitum . non ita eſt : ſed uniuſcuſque, temporis, ualitudinis, facultatis ad agendum, ducta ratio eſt . mea fuit ſemper haec in hac re uoluntas, & ſententia, quemuis ut hoc mallent, de ijs, qui eſſent idonei, ſuſcipere, quam me ; me ut mallent, quam neminem . Reliquum eſt, iam ut illud quaeramus ; cum hoc conſiſſet, Siculos a me petiſſe, equid hanc rem apud uos, animoſq. ueſtros uulere oporteat, equid auctoritatis apud uos in ſuo iure repetendo ſocij populi R. ſupplices ueſtri habere debeant . de quo quid ego plura commemorarem ? quaſi uero dubium ſit, quin tota lex de pecunijs repetendis ſociorum cauſa conſtituta ſit . nam, ciuibus cum ſunt creptae pecuniae, ciuili ſeruatione, & priuato iure repetuntur : haec lex ſocialis eſt : hoc ius nationum exterarum eſt : hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea ; ueruntamen, ſi qua reliqua ſpes eſt, quae ſociorum animos conſolari poſſit, ea tota in hac lege poſita eſt . cuius legis non modo a populo R. ſed etiam ab ultimis nationibus, iam pridem ſeueri cuſtodes reſeruantur, quis igitur eſt, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum cauſa lex ſit conſtituta ? Sicilia tota, ſi una uoce loqueretur, hoc diceret : quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis ur-

bibus, ſedibus, delubris fuit, quod in unaquaque re beneficio ſenatus populiq. R. iuris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuiſti, atque abſtulisti : quo nomine abſte ſeſtertium millies ex lege repeto, ſi uniuersa, ut dixi, provincia loqui poſſet, hac uoce uteretur . quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum eſſe arbitrata eſt, ipſa delegit, in huiusmodi re quiſquam tam impudens reperietur, qui ad alienam cauſam inuitis ijs, quorum negotium eſt, accedere, aut adſpirare audeat ? Si tibi, Q. Caecili, hoc Siculi dicerent ; te non nouimus ; neſcimus, qui ſis ; numquam te antea uidimus ; ſine nos per eum noſtras fortunas defendere ; cuius fides eſt nobis cognita : non ne id dicerent, quod cuius probare deberent ? nunc hoc dicunt, utrumque ſe noſſe, alterum ſe cupere defenſorem eſſe fortunarum ſuarum, alterum plane nolle . cur nolint, etiam ſi tacent, ſatis dicunt . uerum non tacent . tamen his inuitiſſimis te offeres ? tamen in aliena cauſa loquere ? tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus deſertos potius, quam abſte te deſenſos eſſe malunt ? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque uelle ſua cauſa, nec, ſi cupias, poſſe arbitrantur ? cur eorum ſpem exiguum reliquarum fortunarum, quam habent in legis & iudicij ſeruitate poſitam, ut extorquere conaris ? cur te interponis inuitiſſimis ijs, quibus maxime lex conſultum eſſe uult ? cur, de quibus in provincia non optime eſmeritis, eos nunc plane fortunis omnibus conaris euertere ? cur ijs non modo perſequendi iuris ſui, ſed etiam deplorandae calamitatis adimis poteſtatem ? nam, te actore, quem eorum aſſuturum putas, quos intelligis, non ut, per te alium, ſed ut per aliquem te ipſum ulciſcantur, laborare ?

EXPLANATIO

AME potissimum? omiſſis ueteribus patronis. OCVLIS iudicare? quod mentis eſt, ad oculos transfert: alibi, quod eſt animi, ad oculos: ut ep. ad Luceium: Cerno iam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatioſa futura ſint. DETRIMENTO? apud uos in actore deligendo. Et hoc non modo in oratione mea non pono, ſed ne in opinione quidem cuiuſquam relinquo, & ſimile illud infra: In quo ego quid eniti, aut quid efficere poſſim, malo in aliorum ſpe relinquare, quam in oratione mea ponere. OMNIBVS patronis? de patronis tantum Siculorum, ac de ſolis etiam Marcellis loquitur, non de omnibus, qui ſunt in ciuitate: quod ſequentibus intelligitur. TEMPORIS, ualitudinis, facultatis ad agendum, & egregie Pedianus: Temporis, Marcelli iudicantis tunc: ualitudinis, Marcellini, quod erat tunc infirmior ualitudine corporis: facultatis, alterius Marcelli, iuris magis ſtudioſi, quam eloquentiae. Alterum Marcellum, cuius nomen Pedianus omittit, arbitrator eſſe M. Marcellum, qui cum C. Aquillio, L. Lucilio, P. Quinctilio de cauſa P. Quinctij tamquam iuriſconſultus iudicauit. et, ut arbitrator, idem eſt, qui lib. I. in Verrem nominatur, & qui C. Marcelli Aefernini pater fuit: ut in Bruto. DVCTA ratio eſt. & a Siculis: qui non contempſere ueteres patronos, ſed uarijs cauſis, ne opem & auxilium ab ijs peterent, adducti ſunt. Marcellinus inter Siculorum patronos numeratur, quia Marcellus, ante quam adoptaretur, fuerat, & Marcellini cognomen, ut Marcellus fuiſſe uideretur, aſſumpſerat. ſupra quoque, cum eum Cicero ut Siculorum patronum nominaret, ſubiecit: Omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta eſt. Et in ep. ad C. Marcellum conſulem, lib. XV. Marcellos, Marcellinosq. coniungit; in mentione Marcellorum, genus cognofcens; in Marcellinis, Marcellorum nomen. nam ſubſtituit: Mirificus enim generis ac nominis ueſtri fuit erga me ſemper animus. VOLUNTAS, & quod ad me attinet, alienus ab accuſando ſum: ſed officio, fide, miſericordia uincor. SENTENTIA, & debere eos iudicabam ab alijs hoc petere potius, quam a me. DE HIS, qui eſſent idonei, & quorum in numero Caecilius non eſt. QVAM neminem? cum omnino eos, nullo defenſore, deſtitutos, & abiectos iacere, neque uellem, neque aequum eſſe iudicarem. nam, quod Caecilius actionem ſibi poſtular: idoneorum excluditur numero. IN SVO iure repetundo? cum iudicium repetundarum poſtulant, ſuum ius repetunt: nam ſociorum cauſa iudicium illud legibus eſt conſtitutum. LEX? Cornelia L. Sullae de pecunijs reperundis. lata primum eſt a L. Calpurnio Piſone tribuno pl. ante annos centum, Cenſorino & Manilio eos. ut lib. II. & III. Off. & in Bruto. CIVILI fere actione? ciuis enim cum ciue ad praetorem urbanum contendit. PRIVATO iure? non publico iudicio: cum & inter priuatos, & de re priuata controuerſia ſit. HANC habent arcem, & quae uexatos accipiat, ac defendat. NUNC quidem? quia iudicia turpiter, & flagitioſe fiunt. MUNITAM, & apte: quia dixerat, Arcem. QVAM antea; & cum equites uobis ſcum lege C. Gracchi iudicarent. IN HAC lege? reſtituit ſibi animos iudicium, parumper offenſos antecedentibus uerbis. quamquam in eo quoque modum tenuit. non enim dixit, Minus munitam, ſed aliquanto minus. NON modo a populo Romano, & de quo ſupra: Quid eſt, quod aut populo Romano grauius eſſe debeat, aut ſocijs exterisq. nationibus optatius eſſe poſſit? Hic Pedianus, quod equidem miror, populum Romanum a ſocijs non diſtinguit. VLTIMIS nationibus? ultimi imperij noſtri. quo modo Vltimas terras uocat Hispaniam in ep. ad Lentulum: Recordare, inquit, quibus laudationem ex ultimis terris miſeris. Hoc diceret? haec alienae perſonae loquentis inductio mire non ſolum ornat, ſed etiam quodam modo excitat orationem. uſus eſt ea Cicero lib. V. in Verrem: En quod Tindaritam libenter praedicent: Nos in ſeptemdecim populis Siciliae non eramus: nos ſemper in omnibus Punicis, Sicilienſibusq. bellis amicitiam fidemq. populi Romani ſecuti ſumus: a nobis omnia populo Romano ſemper & belli adiuuenta, & pacis ornamenta adminiſtrata ſunt. Ibidem paullo poſt: Ipſe pater ſi iudicaret, per deos immortales quid facere poſſet, cum tibi haec diceret: Tu in prouincia populi Romani praetor, cum tibi maritimum bellum eſſet adminiſtrandum, Mamertinis, ex foedere quam deberent, nauem per triennium remiſiſti. In Catil. I. Si mecum patria, quae mihi uita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſp. loquatur: M. Tulli, quid agis? Et illa Appij Caeci ad P. Clodij ſororem, in oratione pro Coelio: Mulier, quid tibi cum Coelio? quid tibi cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? Nec inconcinne Porcius Latro in Catil. Per deos immortales oro te Catilina, ſi patria tecum his uocibus uteretur, quid eſſes illi, quaero, reſponſurus? Ego te paruulum, Catilina, cum in primis ornatiſſimo genere naſci uoluiffem. &c. SEDIBVS, & quid; ſi; Aedibus? ut ſit tranſiſtus ab urbibus ad domos: deinde ſequantur delubra. quem ordinem ſupra ſeruaui in eo: Ciuitates uitaſſe, domos exinanitſe, ſana ſpoliaſſe. Et lib. IV. in Verr. Nihil in aedibus cuiuſquam, ne in opidis quidem, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculum, nihil apud ciuem Romanum, denique nihil iſtum, quod oculos animumq. accenderit, neque priuati, neque publici, neque profani, neque ſacri, tota in Sicilia reliquiſſe. BENEFICIO ſenatus? Senati, legit Carifiſus lib. I. HS MILLIES? ſubtilior numerandi ratio, & examinatum diligenter auri pondus, tricies centena ſcutatorum, ſignificari demonſtrat. Eſt autem, HS millies, conſuſum, quod & Millies, dicebatur, ut in Philippiſis, Septies, pro, Septies millies centena millia. breuitatis enim cauſa omittebant, Centena millia. Auget hic *κατάλογος*, quia loquitur ex perſona Siciliae. nam ipſe act. I. in extremo, Verrem e Sicilia quadrin-

quadringentis HS contra leges abstulisse, dicit. **AVT** *adspirare*? cupiditas hoc uerbo cum inani conatu ostenditur: ut infra: De isto custode toto sic uobis breuissime respondebo; non esse hos tales uiros commissuros, ut ad causam tantam, a me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor me inuito *adspirare* possit. Et lib. V. Quo neque Carthaginensium gloriosissimae classes, cum mari plurimum poterant, multis bellis saepe conatae, umquam *adspirare* potuerunt. Et in Bruto: Ex bellica laude *adspirare* ad Africanum nemo potest. In ep. ad Trebatium: Subinuido tibi, ultro te etiam accersitum ab eo, ad quem ceteri non propter eius superbiam, sed propter occupationem *adspirare* non possunt. Tusc. V. Occupaui te fortuna, omnesq. tuos aditus interclusi, ut ad me *adspirare* non posses. Quibus exemplis, (ut alia omittantur) quae sit huius uerbi proprietates, intelligitur. **VTRVMQVE** *se nosse*, & aeque contra Caecilium, quia Siculis notus sit, ut si notus non esset, sententia similis pro Deiotaro: Quem profecto is, qui optime nostros homines nouit, uel quia non nosset, uel, si nosset, contemneret. Est autem Caecilij maior uituperatio, quia reijcitur a Siculis ut notus, quam si reijceretur ut ignotus. **DESERTOS** *potius*, & abundare omnino uidetur, Potius, cum sequatur, Malunt: sed alibi quoque modus idem loquendi reperitur. **NEQVE** *uelle sua causa*, & infra: De quibus in prouincia non optime es meritus. **CONARIS** *euertere*? & aut, quod accusare uis; cum ea tibi, quae ad accusandum requiritur, facultas desit: aut, quod accusatorem te fingis, cum praeuaricator futurus sis. **DEPLORANDA** *calamitatis* & in iudicio. te enim causam agente, Siculi non aderunt. **TE IPSVM** & ad ea, quae in Sicilia quaestor commisisti.

O R A T I O

A TENIM solum id est, ut me Siculi maxime uelint: alterum illud credo obscurum est, a quo Verres minime se accusari uelit. equis umquam tam palam de honore, tam uehementer de salute sua contendit, quam ille, atque illius amici, ut ne haec mihi delatio detur? sunt multa, quae Verres in me esse arbitratur, quae scit in te, Q. Caecilij, non esse: quae cuiusmodi in utroque nostrum sunt, paulo post commemorabo: nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare; nullam rem in me esse; quam ille contemnat; nullam in te, quam pertimescat. itaque magnus ille defensor, & amicus eius, tibi Hortensius suffragatur, me oppugnat: aperte ab iudicibus petit, ut tu mihi anteponeas: & ait, hoc se honeste, sine ulla inuidia, ac sine ulla offensione contendere. non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cum uehementius contendendi, impetrare: reus ut absoluaatur, non peto: sed ut ab hoc potius, quam ab illo accusetur, id peto. da mihi hoc: concede, quod facile est, quod honestum, quod non inuidiosum: quod cum dederis, sine ullo tuo periculo, sine infamia illud dederis, ut is absoluaatur, cuius ego causa laboro. & ait idem, ut aliquis metus adiunctus sit ad gratiam, certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas uelit: id esse perfacile: non enim singulos ferre sententias, sed uniuersos constituere: ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami, ac nefaria. atque is non tam propter Verrem laborat, quam quod eum minime res tota delectat. uidet enim, si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit semper, ac pro nihilo putauit, accusandi uoluntas ad uiros fortes, spectatosq. homines translata sit, se in iudicij dominari non posse. huic ego homini iam ante denuncio, si a me causam hanc uos agi uolueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam, & ita tamen mutandam, ut meliore, & honestiore condicione sit, quam qua ipse esse uult; ut imitetur homines eos, quos ipse uidit, amplissimos, L. Crassum, & M. Antonium, qui nihil se arbitrabantur ad iudicia causasq. amicorum, praeter fidem, & ingenium, afferre oportere. nihil erit, quod me agente arbitretur iudicium

sine magno multorum periculo posse corrumpi. ego in hoc iudicio mihi Sicularum causam receptam, populi R. susceptam esse arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiuerunt, sed omnino omnis improbitas, id quod populus R. iam diu flagitat, exstinguenda, atque delenda sit. in quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere. Tu uero, Caecilij, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? in mentem tibi non uenit, quid negotij sit, causam publicam sustinere: uitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis, conspectuq. omnium exponere? sociorum salutem, commoda prouinciarum, uim legum, grauitatem iudiciorum defendere? cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoueris, ego iam tibi ipse istuc, quod expetis, mea uoluntate concedam. primum integritatem, atque innocentiam singularem: nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero uitae repositere eum, qui non possit suae reddere. hic ego de te plura non dicam: unum illud credo omnes animaduertere, te adhuc ab nullis, nisi a Siculis, potuisse cognosci: Siculos hoc dicere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad iudicium non affuturos. quare negent, ex me non audies: hos patere id suspicari, quod necesse est. illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum, & suspiciosum, non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare uelle arbitrantur, sed, cum iisdem litteris illius praetura, & tua quaestura consignata sit, aseptare te uelle ex Sicilia litteras suspicantur. Deinde, accusatorem firimum, uerumq. esse oportet. eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo esse non posse. nec ea dico, quae, si dicam, tamen infirmare non possis: te, ante quam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre: Potamonem, scribam, & familiarem tuum, retentum esse a Verre in prouincia, cum tu decederes.

M res: M.

res: *Ac. Caecilium, fratrem tuum, lectissimum, atque ornatissimum adolescentem, non modo non adest, neque tecum tuas iniurias persequi, sed esse cum Verre: cum illo familiarissime, atque amicissime uere: sunt haec, & alia in te falsi accusatoris signa* per multa: quibus ego nunc non utor: hoc dico, te, si maxime cupias, tamen uerum accusatorem esse non posse: uideo enim per multa esse crimina, quorum tibi societas cum Verre eiusmodi est, ut ea in accusando attingere non audeas.

EXPLANATIO

ATENIM solum id est, ut me Siculi maxime uelint: aliter illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari uelit. mirum est, quam iucunda uarietate transitum sibi Cicero quaerat ad aliam rem. Vtitur hic quidem ironia, & act. i. cum ait: At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. quam multis istum ingenais, quam multis matribus familias in illa terra atque impura legatione uim attulisse existimatis. Habet illud quoque ironiae similitudinem, cum interrogatione subiecta, lib. IV. At hoc solum Africani monumentum uiolanti: quid? a Tindaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurij, pulcherrime factum, sustulisti? Illa simplex est, infra: Esto: ipse nihil est, nihil potest: at uenit paratus cum subscriptoribus exercitatis, & disertis. Et illa, praeclearo in primis exemplo, lib. V. Esto: nihil ex fugitiuorum bello, aut suspitione belli laudis adeptus es; quod neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto prouisum est; ne quod esset. at uero contra bellum praedonum classem habuit ornatum, diligentiamque in eo singularem: itaque isto praetore praecleara defensa prouincia est. Vtitur affirmatione simplici, ut act. i. cum furta Verres attingit, haec subiunxit: In stupris uero, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreo. Affirmatione mista, id est cum interrogatione subiecta, ut lib. III. Priuatim hoc modo: quid publice in ciuitates quemadmodum tractatae sunt? Er in ep. ad Appium: Atque haec domestica: quid illa tandem popularia? Interrogatio simplex multis cognoscitur exemplis, quorum pauca, uitandae satietatis causa, recitabo. infra: Quid illa, Caecili, contemnenda ne tibi uidentur esse? Lib. IV. Quid signum Paeanis ex aede Aesculapij, praecleara factum, sacrum, & religiosum, non sustulisti? Quid ex aede Liberi simulacrum Aristei non tuo imperio palam ablatum est? Quibus in locis, & alijs prope innumerabilibus, per interrogationem ad aliam rem transitur oratio. IN VTROQUE nostrum sunt, & malim, Sint. **MAGNVS** ille defensor, & qui dominetur in iudicijs. Cum probo dictum: ut infra. **AMICVS** eius: aculeus in Hortensium, amicitiam enim gignit morum similitudo. Hoc se honeste, sine ulla inuidia, & cum alia non honeste, nec sine inuidia solcam contendere. Fatentem inducit Hortensium, quae in iudicijs corrumpeudis agere solitus erat. **CVM uehementius contendit**, & non auctoritate, uel gratia, sed pecunia. **DA MIHI hoc**: Hortensij uerba ad iudicem, pro Caecilio petentis, pro Verre laborantis. **UT IS absoluetur**, & accusante enim Caecilio, me defendente, facile Verres elabatur. **UT ALIQUIS metus**: si promissum non seruauerit. **AD GRATIAM**: quae futura est in seruando promisso. **FERRE sententias**, & sua quemque tabella. **VNIERSOS constituere**: simul omnes, non separatim singulos, constituere tabellas in cista, unde postea exceptae dirimebantur, & ex maiore numero uel absoluebatur, uel condemnabatur reus. **CERA legitima**, & non illa discolora, quae corrupti fidem iudicis ei, qui corruerat, ostendebat. quod cum fieri iam non posset, ex infamia superiorum iudiciorum, in quibus Hortensius a corruptis iudicibus ceram in tabella discoloram pro signo promissae uoluntatis exegerat: necesse erat, ut certis hominibus tabellas ipsas, priusquam in cistam conijcerentur, empti iudices inspiciendas offerrent: ut ex inscripta tabellae littera A, quae abolitionis index erat, promissi fides ostenderetur. **NON ulla infami**, & cui locus iam non esset. **AC NEFARIA**, & uere nefaria: sed fateri Hortensium fingit, quod negari non poterat, re perspecta. Haec eadem cera, non sine Hortensij probro, significatur act. i. Nulla nota, nullus color, nullae fordes uidebantur his sententijs allini posse. Et lib. I. Nolo eos iudices, quos ego probarim, atque delegerim, sic in hac urbe notatos, isto absoluto, ambulare, ut non cera, sed coeno obliti esse uideantur. **AUVERIS nobilibus**, & adolescentibus, qui gloriae cupiditate claros uiros accusauerant: in ijs numerat Asconius Ap. Claudium, C. Caesarem, M. Scaurum. Ego autem de Appio, & Caesare assentior: de Scauro cogor ambigere. nam, cum Cicero subiungat, Quos adhuc elusit: apparet, quos defendit Hortensius, absolutos esse: quod in Appium, & Caesarem conuenit, quibus accusantibus, Varro, & Dolabella sunt absoluti. Scaurus autem & accusauit alterum Dolabellam, eum scilicet, cui Verres legatus fuit, & damnauit. quod Asconius ipse in oratione pro illo demonstrat. Et lib. I. in Verr. Nemo iam, Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate, atque in solitudine reliquisti, misereri potest. Perspicue uero in eodem libro, paullo post: M. Scauro, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate, ac ditione tenuit. Nam, quem Caesar Dolabellam accusauit, eum absolutum esse, non Asconio solum, sed Suetonio quoque, & Plutarcho auctoribus probatur. quamquam ab Asconio dissentire Suetonium uideo. nam, cum duo quidem eiusdem praenominis eodem tempore Dolabellae fuerint, unus autem consularis, & triumphalis: hunc Asconius a Scauro, Suetonius ait a Caesare accusatum. quam Cicero controuersiam dirimit. non enim consulem, sed praetorium accusatum esse Dolabellam a Scauro, & Verrem, qui legatus ei fuerat, testimonium in eum dixisse, narrat lib. I. in Verrem.

Verrem. quod etiam uerba ex eodem libro proxime recitata declarant. Sed, ut ad propositum reuertar: non uideo, qui possint illa uerba, Quos adhuc elusit, ad Scaurum pertinere: qui, si uictor ex iudicio discedit, certe non eluditur. A **QVADRUPULATORIBVS**, & sordido, & infami accusatorum genere, qui accusabant eos, quibus damnatis quartam partem, ut ait Asconius, de bonis eorum consequentur. **NON sine causa** & nam ad accusandum idonei minime sunt. **AD VIROS fortes**, & ut posthac uiri fortes, non pueri, quos adhuc elusit, spectati homines, non quadruplatores, quos non sine causa contempsit semper; ad accusandum descendant. **TOTAM** & quasi nulla ex parte honestam. **ESSE mirandam, & ita mirandam**, & habet elegantiam eiusdem uerbi repetitio, ut pro lege Manilia: Annum iam tertium & uigesimalium regnat, & ita regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris, occultare uelit, sed emergere e patrio regno, atque in uestris uetigalibus, hoc est in Asiae luce uersari. Ibidem: De Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, ut neque uera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse uideatur. **QVA ipse esse uult**, & cogam cum esse bonum uirum, contra quam adhuc fuit, & esse uult: me enim actore, spem deponat oportet iudicij corrumpendi. **QVOS ipse uidit**, & Antonium uidit Cicero, & audiuit: Crasum audire non potuit. annum enim agebat XVI, cum ille decessit, Philippo & Caesare eos, utrumque autem uidit, & audiuit Hortensius, octo annis maior, quam Cicero. **MULTORVM** & quos ego, quia pecuniam ob rem iudicandam acceperint, accusabo. **RECEPTAM** & pro officio, fideq. mea, ipsis rogantibus. **SUSCEPTAM** & ut, quod populus Romanus iamdiu flagitat, huius accusationis exemplo & iudices, & corruptores prorsus omnes ab improbitate deterream. Hoc igitur suscepi, flagitante populo, quasi totum quiddam, pro patria contra omnem improbitatem: illud recepi, Siculis rogantibus, quasi partem, pro una prouincia contra unum hominem improbum. **IN oculis, conspectuq. omnium** & eorum, qui adsunt. non enim, Omnium, ad iudices referri potest, de quibus iam dixit, In animis iudicum: sed, ut arbitror, ad populi coronam pertinet. Hanc uero facultatem, quam hic admittit Caecilio, sibi tribuit act. i. iisdem fere uerbis: Intelligit me ita paratum, atque instructum in iudicium uenire, ut non modo in auribus uestris, sed in oculis omnium sua furca, atque flagitia defixurus sim. Hoc primum tempus discendi nactus es, & duplex uituperatio: nam & notatur inficitia Caecilij, qui nihil antea didicerit, & eiusdem temeritas, qui tamen accusationem sibi deposcat. similiter in oratione pro Caecina, ad irrisiorem aduersarij, fingit eum docere se uelle tamquam discipulum suum. Ut ex me, inquit, ea, quae tibi in mentem non ueniunt, audias. **NISI a Siculis**, & apud quos quaesturam gessisti. **DICIS**, & cum re uera non sis. supra: Cui te inimicum esse simulas. Suspicionem praenarrationis incipit afferre. **EX ME non audies**: & parco enim existimationi tuae. **HOS** & iudices. **QVOD necesse est**, & ideo Siculos ad iudicium non astuturos, quia, qui sis, & quid praestare possis, probe nouerint. **NIMIS acutum, & suspiciosum**, & Siculorum ingenij argute capit argumentum contra Caecilium. Acumine ingenij Siculos ualuisse ostendit etiam in Bruto. Aristoteles, inquit, cum, sublati e Sicilia tyrannis, res priuatae longo intervallo iudicij repeteretur, tum primum, ait, quod esset acuta illa gens, & controuersa natura, artem, & praecipua Siculos Coracem, & Tisiam conscripsisse. Et lib. III. in Verr. Ita acute, ut Siculum; ita scire, ut tyrannum. Et in ep. ad Q. fr. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis. Et Coelius apud Quintilianum lib. VI. cap. 4. Siculi quidem, ut sunt lasciuji, & dicaces, aiebant eum in delphino sedisse, & sic, tamquam Ariona, transfuectum. **ASPORTARE** & ne tibi, qui furtorum Verris non modo conficius, sed etiam particeps fuisti, nocere possint. **TE VELLE ex Sicilia litteras** & iterata uerba quiddam hic habent, quo fruuntur aures: ut illa quoque similitudo, Deportare, Asportare, sensu tamen admodum dissimili: & in priore membro, Arbitrantur; in posteriore, Suspiciantur. omnino, cum in Caecilium peracerba sententia sit, sale tamen & lepore periodus redundat omnis. **FIRMVM, uerumq.** & eloquentia, & integritate praeditum. Supra: Ut homines idonei, atque integri causam reip. legumq. susciperent. Et: Si accusandi uoluntas ad uiros fortes, spectatosq. hominos translata sit. **Nec ea dico**, & quae tamen dicit, sed ita breuiter, ac summam, ut ea quasi negligere uideatur. **POTAMONEM** & L. Papirium Potamonem, cuius mentio fit lib. III. & lib. IV. **RETENTVM esse** & ut communem amicum, qui si te cum Verre inimicitias non fide, sed uere exercere cognouisset, non remansisset in prouincia te decedente. **CVM TV decederes**: & Verres triennio Siciliam rexerat: quaestores autem singulis annis mutati sunt: ut lib. II. in Verrem. **LECTISSIMVM, atque ornatissimum adolescentem**, & ueram esse laudationem, Pedianus ait, quod a fratre non dissentiat, quem sciat amicum esse Verri, sed ea ne causa esse debuit, cur lectissimus, atque ornatissimus adolescens diceretur: quae communis, & ampla quaedam laus est, non ad germanitatis officium, ut existimasse uideretur Asconius, proprie pertinet. Ego argumentum quidem agnosco de praenarratione Caecilij, quod eius frater cum Verre sit: sed ironiam abesse non arbitror, cum eum egregie laudat, qui cum homine perditissimo Verre, contra quem Sicilia tota testimonium dicat, familiarissime, & amicissime uiuat. **Hoc dico**, & haec si coniunges, quae satis longe distant: Nec ea dico: uenustatem quandam, leporemq. senties. **SIMAXIME cupias**, & quem scio minime cupere, & praenarratorem esse uelle.

O R A T I O

QVERITUR Sicilia tota C. Verrem ab oratoribus, cum frumentum sibi in cellam imperauisset, & cum esset tritici modius HS 11, pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisset, magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, iniuria non ferenda. ego hoc uno crimine illum condemnem, necesse est. tu, Caccili, quid facies? utrum hoc tantum crimen praetermites, an obijcies? si obijcies: id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eadem prouincia tu ipse fecisti? audebis ita accusare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recusare non possis? si praetermites; qualis erit ista tua accusatio? quae domestici periculi metu, certissimi & maximi criminis non modo suspicionem, uerum etiam mentionem ipsam pertimescat. Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis praetore Verre, pro quo frumento pecunia omnia soluta non est. graue est hoc crimen in Verrem, graue me agente, te accusante nullum. eras enim tu quaestor: pecuniam publicam tractabas: ex qua, etiam si cuperet praetor, tamen, ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. huius quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. silebitur toto iudicio de maximis, &

notissimis illius furtis, & iniurijs. mihi crede, Caccili, non potest in accusando, socios uere defendere is, qui cum reo criminum societate coniunctus est. Mancipes a ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. quid? hoc Verre praetore factum est solum? non, sed etiam quaestore Caccilio. quid igitur? daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret, & debuisti? an totum id relinques? ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet, quod cum faciebat, quem admodum defensurus esset, non reperiatur. atque ego haec, quae in medio posita sunt, commemoro: sunt alia magis occulta furta; quae ille, ut istius credo animos, atque impetus retardaret, cum quaestore suo benignissime communicauit. haec tu scis ad me esse delata: quae si uelim proferre, facile omnes intelligent, uobis inter uos non modo uoluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse diuisam. Quapropter, si tibi iudicium postulabas dari, quod tecum una fecerit: concedo, si id lege permittitur. Sin autem de accusatione dicimus: concedas oportet ijs, qui nullo suo peccato impediuntur, qui minus alterius peccata demonstrare possint.

E X P L A N A T I O

SI BI in cellam? in usum suum. HS 11? sestertijs binis, id est, assibus octo. alij interpretantur, sestertium duobus. quod miror. aliud est enim dicere, sestertijs duobus; qui sunt, ut diximus, asses octo: aliud sestertium duobus: ubi, millibus, subaudi, Latini sermonis consuetudo postulat, quo modo sicut scutati sexaginta. quae summa si pretium esse putetur in singulos modios, quid absurdius? At in frumentaria saepe Cicero utitur hoc genere loquendi. Vtitur sane: sed cum de singulis modijs non agitur, quorum est minimum pretium. Quod aiunt, sestertium duobus, apud Nonium legi in uerbo Exigere: si esset hoc mendum in Nonio, tollendum omnino censerem: sed in eo quidem, quo ego utor, Nonio non est. DVODENOS sestertios? & hoc infirmat coniecturam illam, sestertium duobus. nam eadem ratione, Duodecim sestertium, hic legi oporteret. EXEGISTI. quaternos a senatu, quibus frumentum tibi emeret, octonos ab oratoribus. id agnoscitur ex lib. III. in Verrem: Quaternos sestertios, inquit, quos mihi senatus decreuit, & ex aerario dedit, ego habeo, & in cistam transferam ex fisco. Quid postea? quid? pro singulis modijs, quos tibi impero, tu mihi octonos sestertios dato. Ita Verres primum a senatu, deinde ab oratoribus non debitam pecuniam colligebat: a senatu, pro frumento sibi in cellam emendo, quaternos sestertios in singulos modios, cum tamen modius binis tantum sestertijs esset: ab oratoribus octonos pro binis. EPTVM est ex S. C. frumentum? transit ad aliud crimen. nam hoc frumentum, praeter decumanum, populus Romanus emit, ut annonae grauitas in urbe leuaretur. DEDUCTIO? deminutio: quae facta est a Verre diuersis nominibus, pro spectatione, pro Collybo, pro nescio quo cerario, pro scriba: ut lib. III. in Verrem. MANCIPES? publicani, qui decumani uocabantur a redemptis decumis. PRO FRUMENTO pecuniam exegerunt? quae dabatur aestimatio praetori pro frumento in cellam, mancipibus autem non dabatur. propterea Cicero ut crimen obijcit. QVEMADMODVM defensurus esset, commune crimen erat inter mancipes, & Verrem, illi pro frumento pecuniam exigebant: quod non licebat: hic, furto, praedarumq. particeps, mittebat ijs, ut, quanti uellent, decumanum frumentum aestimarent, id est, quantum uellent ab aratoribus pecuniam exigerent. RETARDARET, ab accusando. CVM quaestore suo benignissime communicauit. laudare uidetur, & uituperat. praetorem enim decet erga quaestorem suum benignum esse: uerum haec benignitas, furto, communicatione est. SI ID lege permittitur. non mittebatur, ait Pedianus, in causa repetundarum. IIS, uitat arrogantiam, ad multos transferens, quod de se ipso significat. itaque de iudicio dixerat, Concedo: de accusatione, quae integritatem requirit, non dixit, Concedas oportet mihi, sed, Concedas oportet ijs. Nullo suo peccato? nulla criminum societate.

O R A T I O

AC uide, quantum inter futurum sit inter meam, atque tuam accusationem. ego, etiam quae tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem. tu contra, ne quae ille quidem fecit, obijcies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiri. Quid illa, Caecili? contemnenda ne tibi uidentur esse? sine quibus causa sustineri, praesertim tanta, nullo modo potest. aliqua facultas agendi, aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, iudicijs, legibus aut ratio, aut exercitatio. intelligo, quam scopuloso, difficilique in loco uerser. nam, cum omnis arrogancia odiosa est, tum illa ingenij, atque eloquentiae multo molestissima. quam obrem nihil dico de meo ingenio; neque est, quod possim dicere; neque, si esset, dicerem. aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est; aut, si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum. de te, Caecili, iam mehercule hoc extra hanc contentionem certamenque nostrum familiariter tecum loquar. tu ipse quemadmodum existimes, uide etiam atque etiam: et tu te collige: et, qui sis, et quid facere possis, considera. putas ne te posse de maximis, acerbissimisque rebus, cum causam sociorum, fortunasque prouinciae, ius populi Romae grauitatem iudicij, legumque

susceperis, tot res, tam graues, tam uarias, uoce, memoria, consilio, ingenio sustinere? putas ne te posse, quae C. Verres in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Asia, Pamphyliaque patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibusque diuisa sint, sic criminibus, et oratione distinguere? putas ne posse, id quod in eiusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut, quae ille libidinosae, quae nefariae, quae crudeliter fecerit, ea aequae acerba, et indigna uideantur esse ijs, qui audient, atque illis uisa sunt, qui senserunt? magna sunt ea, quae dico. mihi crede, noli haec contemnere. dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: causa non solum exponenda, sed etiam grauius copioseque agenda est: perficiendum est, si quid agere, aut perficere uis, ut homines te non solum audiant, uerum etiam libenter, studioseque audiant. in quo si te multum natura adiunxerit; si optimis a pueritia disciplinis, atque artibus studuisses, et in his elaborasses; si litteras Graecas Athenis, non Lilybaei; Latinas Romae, non in Sicilia didicisses: tamen esset magnum, tantam causam, tam expectatam, et diligentia consequi, et memoria complecti, et oratione exponere, et uoce, et uiribus sustinere.

E X P L A N A T I O

AC UIDE, et ingressus non expectatae sententiae, ut ad Att. Ac uide mollitiem: non tenui lacrymas. Modus autem loquendi similis occurrit infra: At uide, quid differat inter meam opinionem, ac tuam. Et in Verrem lib. V. Vide, quid intersit inter tuam libidinem, maiorumque auctoritatem, inter amorem, furoremque tuum, et illorum consilium, atque prudentiam. Praesertim tanta, et in qua maxima & acerbissima crimina sunt explicanda. Familiariter tecum loquar. et monitoris & amici partes sumit. quod irridendi genus est. Quae C. Verres in quaestura, quae in legatione, et cum esset quaestor Carbonis, & legatus Dolabellae. lib. I. in Verrem: Hi sunt anni consumpti in quaestura, in legatione Asiatica, & praetura urbana, & praetura Siciliensi. Quo loco satis constat, de quaestore Carbonis Verre sermonem esse. itaque falluntur, qui ad hanc quaesturam ea referunt, quae commisit Verres in Achaia: cum Verri quaestori contigerit Gallia prouincia: ut lib. I. dilucide patet. In praetura, et primo loco Siciliensem Verri praeturam ostendit, dicens: Putas ne te posse de maximis, acerbissimisque rebus, cum causam sociorum, fortunasque prouinciae, &c. Nunc praeturam attingit urbanam, in qua Romae, & in Italia Verres multa patrauit. quae licet ad crimen repetundarum, id est ad Siculos, non atineant, omittenda tamen ab accusatore non sunt. In Achaia, Asia, et alienis prouincijs, per quas cum suo proconsule Dolabella transiit Verres, & rursus sine proconsule per Asiam, ad regem Nicomedem, & Sadalam proficiscens: ut lib. I. Pamphylia et suae prouinciae parte. nam Dolabellae Cilicia constituta est. lib. I. Magna sunt ea, quae dico. et haec tamquam imperito dixit: ait Donatus in illud Terentij in Adel. Non est flagitium, mihi crede. Grauius, copioseque sequitur ratio, cur grauitas, & copia requiratur. Non Lilybaei, et ubi deterius, quam in reliqua Sicilia, Graece loquebantur. erat autem Siculorum utraque mendosa lingua, siue Graeca, siue Latina. utraque enim utebantur, sed Graeca communiter inter ipsos. itaque litteras Syracusanorum lib. V. Graece scriptas fuisse, ex uerbo, ἐρηώτισαν, apparet. ac de Latina quidem, quo modo in Siciliam transferit, Diodorus Siculus lib. I. his uerbis: Διὰ τὴν ἐπιπέταν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς ῥωμαίων διαλέκτου ἀπέκτησάν τινες οἱ. De Graeca uero sic idem lib. V. Αναμνησθέντες δ' ἀλλήλοις, ἢ διὰ πλῆθος ἢ καταπλεόντων ἑλλήνων, τὴν τε διάλεκτον αὐτῶν ἔμαθον.

O R A T I O

FORTASSE dices: quid? ergo haec in te sunt omnia? utinam quidem essent: uerum tamen, ut esse possent, magno studio mihi a pueritia est elabora-

tum. quod si ego haec propter magnitudinem rerum, ac difficultatem assequi non potui, qui in omni uita nihil aliud egi: quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare,

bitrare, quas non modo antea numquam cogitasti, sed ne nunc quidem, cum in eas ingrederis, quae, & quantae sint, suspicari potes? ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro iudicijq. ita uersor, ut eiusdem aetatis aut nemo, aut pauci plures causas defenderint, & qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotijs datur, in his studijs, laboribusq. consumam, quo parator ad usum forenses, promptiorq. esse possim; tamen, ita deos mihi uelim propitios, ut, cum illius diei mihi uenit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoueor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. iam nunc mente, & cogitatione prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint, quantam expectationem magnitudo iudicij sit allatura, quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura, quantam denique audientiam orationi meae improbitas illius factura sit. quae cum cogito, iam nunc timeo, quinam pro offensione hominum, qui illi inimici, insensiq. sunt, & expectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui possim. tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras: & si quid ex uetere aliqua oratione; Iouem ego Optimum Maximum, aut, Vellem, si fieri potuisset, iudices; aut aliquid eiusmodi ediscere poteris; praeclare te paratum in iudicium uenturum arbitraris. ac, si nemo tibi responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses: nunc illud ne quidem cogitas, tibi cum homine discretissimo, & ad dicendum paratissimo, futurum esse certamen? quicum modo disserendum, modo omni ratione pugnandum, certandumq. sit, cuius ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam; ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. numquam ille me opprimet consilio, numquam ullo ar-

tificio peruertet: numquam ingenio me suo labefacture, atque infirmare conabitur: noui omnes hominis petitiones, rationesq. dicendi: saepe in iisdem, saepe in contrarijs causis uersati sumus. ita contra me ille dicet, quamuis sit ingeniosus, ut non nullum etiam de suo genio iudicium fieri arbitretur. te uero, Caecili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus, uidere iam uideor: quoties ille tibi potestatem optionemq. facturus sit, ut eligas utrum uelis; factum esse, nec ne; uerum esse, an falsum: utrum dixeris, id contra te futurum. qui tibi aestus, sed error, quae tenebrae, dii immortales; erunt, homini minime malo. quid, cum accusationis tuae membra diuidere coeperit, & in digitis suis singulas partes causae constitutere? quid, cum unumquodque transigere, expedire, absoluerit? ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum faceferis. quid, cum commiserari, conqueri, & ex illius inuidia deonerare aliquid, & in te transficere coeperit? commemorare quaestoris cum praetore necessitudinem constitutam? morem maiorum? sortis religionem? poteris ne eius orationis subire inuidiae? uide modo, etiam atque etiam considera. mihi enim uidetur periculum fore, ne ille non modo uerbis te obruat, sed gestu ipso, & motu corporis praestinguat aciem ingenij tui, teq. ab institutis tuis, cogitationibusq. abducat. atque huiusce rei iudicium iam continuo uideo futurum. si enim mihi hodie respondere ad haec, quae dico, poteris; si ab isto libro, quem tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus compositum dedit, uerbo uro discesseris: posse te & illi quoque iudicio non deesse, & causae atque officio tuo satisfacere arbitrabor. sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo aduersario fore putemus?

EXPLANATIO

CUM IN eas ingrederis, § usum & exercitationem hic adimit Caecilio, studium uero, & diligentiam, cum dixit, Numquam cogitasti. quae uero adimit aduersario, ea sibi tribuit in sequentibus: & se tamen causarum magnitudine commoueri uehementer dicit. **ILLIUS DIEI** § lepidè subiungit, Quo die, ut supra: Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent. **NON solum commoueor animo**, § idem sibi contingere solum esse, L. Crassus, orator ille summus, fatetur lib. I. de Orat. Equidem, inquit, & in uobis animaduertere soleo, & in me ipso saepissime experior, ut exalbecam in principijs dicendi, & tota mente, atque omnibus artibus contremiscam. adolescentulus uero sic in initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum, ac debilitatum metu uiderit. In Cluentiana uero: Semper equidem magno cum metu incipio dicere. **NIHIL cogitas**, § tantum adest, ut haec metuas, ut ne cogites quidem: aut, si cogitas, non laboras: non cogitare autem, stulti hominis est; non laborare, impudentis. **EX VETERE aliqua oratione**, § ut Catonis Censorij, qui solitus est in omnibus orationum suarum proemijs deorum mentionem facere. auctor Seruius in illud Virgilij lib. VII. Dij nostra incepta secudent. **DISSEKENDVM**, § acute, & subtiliter. **PUGNANDVM**, § grauius, & copiose. Disserere, ad ingenium, pugnare, ad uim, copiamq. pertinet orationis. **ITA laudo**, § laudare coepit, ut Caecilium deterreat: ipse cur non timeat, subiungit. **QVAM decipi** § hoc pertinet ad illud: Quicum modo disserendum, proptereaq. subiungit: Numquam ille me opprimet consilio, numquam ullo artificio peruertet. **LABEFACTARE, atque infirmare** § hoc ad illud respicit: Modo omni ratione pugnandum. eiusdem enim ingenij est, & disserendo decipere, & pugnando labefactare, quo in utroque Hortensium ita laudat, ut cum sibi non anteponat. **PETITIONES**, § apte: quia dixerat, Modo omni ratione pugnandum, certandumq. sit. iam illa uerba, Opprimet, Peruertet, Labefactare, Infirmare, similitudinem quandam pugnae referunt. **IUDICIUM fieri** § ex ingenij mei computatione. **UIDERE iam uideor**: § modus futurae rei repraesentandae, ut in Laelio: Videre iam uideor populum Romanum a senatu disiunctum, multitudinisq. arbitrio res maximas agi. Dicitur etiam de te praesenti, ut in ep. ad Att. lib. XII. Mecum esse te puto, non solum, quod meam rem agis, uerum etiam

etiam, quod uidere uideor, quo modo agas. HOMINI *minime malo*? quasi misereatur eius, cui tot ac tantae difficultates impendant, quod ad irridendum ualet. *DRUIDERE*? quam ei laudem Cicero tribuit in Bruto. *EXPEDIRE*, & expedire, plus est, quam transigere; minus, quam absoluere. ideo dixit, Transigere, expedire, absoluere, possunt enim multa transigi, nec expediri; possunt expediri, nec absolui. *IN TE transigere*? non ut communicetur crimen, sed ut totum in te conferatur. *NECESSITVDINEM*? quaestor enim praetori loco filij, praetor quaestori loco parentis debet esse. *Infra*: Sic a maioribus accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere. Et in ep. ad Brutum lib. XIII. Cum ad te tuus quaestor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putabam: satis enim commendatum tibi eum arbitrari ab ipso more maiorum; qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam uoluit esse. Tres contra Caecilium causas ex ipsius quaestura Cicero sumit, ipsam quaestoris coniunctionem, liberorum necessitudini proximam; morem maiorem, per quem accusare praetorem suum quaestori non licebat; fortis religionem, idest, uoluntatem deorum, unde fors ipsa pendet. ideo sortem diuinam Phil. III. uocat. nam provinciae quaestoribus forte contingebant. Haec autem Cicero colligit, ut, quod sibi Caecilius ad impetrandum accusatoris locum adiumento sperabat esse maximo, quia scilicet quaestor Veris fuisset, id ipsum ostendat aduersarium ei uehementer esse. *SVBIRE inuidiae*? quam ille, quaestoris cum praetore necessitudinem, morem maiorem, fortis religionem commemorans, in te commouebit? Inuidiae, legit Alconius, & addit exemplum, Magno ponderi subire: quod proprium est: translatum autem, Inuidiae subire. *VIDE modo*, & hoc monentis est. non enim, Modo, accipitur pro, nunc. tale illud Coelij, in ep. 2. lib. IIX. Vide modo, inquis. *MIMI*? qui illum probe noui. tibi fortasse non uidetur, homini imperito, qui nec illum, nec omnino causas, iudiciaq. nosti. *GESTV ipso, ac motu corporis*? non minus hoc ad deridendum Hortensium, quam ad deterrendum Caecilium, pertinet. gestus enim Hortensij plus habebat artis, quam deceret: ut histrioni similior, quam oratori, uideretur. ideo L. Torquatus, homo scruerus, & grauis, gesticulariam Dionysiam, notissimae saltatriculae nomine, appellabat. Gellius lib. I. cap. 5. Idem notauit Cicero de claris Orat. parce tamen, ac modeste. Sed in Verrem lib. III. Tamen ne putamus, inquit, patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum? *PRAESTINGVAT aciem ingenij tui*, & ut ea, quae causa postulat, quaeq. iam cogitaueris, uidere non possit. *AB INSTITVTIS tuis, cogitationibusq.* & ab ijs, quae contra Verrem domi commentatus es.

ORATIO

ESTO: ipse nihil est, nihil potest: at uenit paratus cum subscriptoribus exercitatis, & disertis, est tamen hoc aliquid, tamesi non est satis. omnibus enim rebus is: qui princeps in agendo est, ornatissimus, & paratissimus esse debet. uerum tamen L. Appuleium esse uideo proximum subscriptorem, hominem non aetate, sed usu forensi, atque exercitatione tironem; deinde, ut opinor, habet *Alienum*, hunc tamen a subscellis: qui quid in dicendo possit, nunquam satis attendi: in clamando quidem uideo eum esse bene robustum, atque exercitatum. in hoc spes tuae sunt omnes. hic, si tu eris actor constitutus, totum iudicium sustinebis, ac ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest; sed consulat laudi, & exsultationi tuae, & ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse uideare, ut in actoribus Graecis fieri uidemus; saepe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quammaxime excellat: sic faciet *Alienus*: tibi seruiet: tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quam potest. iam hoc considera, cuiusmodi accusatores in tanto iudicio sinus habituri, cum & ipse *Alienus* ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit, & Caecilium tum denique se aliquid futurum putet, si *Alienus* minus uehemens fuerit, & sibi primas in dicendo partes concesserit. quantum quem sit habiturus, non uideo, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuiumque

uos delationem dedissetis. ex quibus alienissimis hominibus ita paratus uenis, ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea, quae dixerint, certo loco, aut singularem unicuique respondeam. sic breuiter, quoniam non consulto, sed casu, in eorum mentionem incidi, quasi praeteriens satisfaciam uniuersis. tanta ne uobis inopia uideor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? uobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam praeripere conemini potius, quam a iugos a columna Maenia uestri ordinis reos reperiatis? Custodem, inquit, Tullio me apponite. quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas captas admisero? qui, non solum ne quid enuncies, sed etiam ne quid auferas, custodienus sis. sed de isto custode toto sic uobis breuissime respondebo: nunquam esse hos tales uiros commissuros, ut ad causam tantam, a me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor, me inuito, aspirare possit: ctenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat. Verum, ut ad te, Caecilij, redeam, quam multa te deficiant, uides: quam multa sint in te, quae reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profecto iam intelligis, quid ad haec dici potest? non enim quaero, quid tu dicturus sis. uideo, mihi non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet. qui, si recte monere uolet, suadebit tibi, ut hinc discedas, neque mihi uerbum ullum respondeas. quid enim dices? an id, quod dictitas, iniuriam tibi fecisse

fecisse Verrem? arbitror: neque enim esset uerisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum eximium, cui consuleret, fuisse, sed ceteri Siculi ultorem suarum iniuriarum inuenerunt; tu, dum tuas iniurias per te, id quod non potes, persequi conaris, id agis, ut ceterorum quoque iniuriae sint impunitae, atque inultae. & hoc te praeterit, non id solum fieri solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit ulcisci; in quo utrumque sit, cum superiorem esse; in quo alterum, in eo, non quid is uelit, sed quid facere possit, quaeri solere.

EXPLANATIO

CVM subscriptoribus exercitatis, & disertis. § ironia: ut e sequentibus colligitur. erant autem Subscriptores, actores eiusdem causae, quam primo loco agebat is, cui subscribebant: quos oportebat agere summissius, quam ille, qui princeps erat in agendo. Subscriptores autem habet accusator, non defensor. nam accusator dicitur is, qui nomen detulit, quiq. in agendo princeps est. qui uero ei subscribebant, eiq. se adiutores fore, & eandem simul causam acturos esse profitebantur, Subscriptores uocantur. hi quattuor omnino uidentur fuisse. nam subiungitur: Quartum quem sit habiturus, non uideo: nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuiusque nos delationem dedissetis. & M. Coelium a quattuor accusatum esse constat, Atratinio, Herennio, Clodio Balbo. Differunt igitur accusator, & subscriptor nomine, non re. nam & subscriptor, ut dixi, agit eandem causam: itaque subiicitur: Ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest, sed consulet laudi, & exultationi tuae, & ex eo, quod ipse potest, aliquantum remittet. Ipsum quoque subscriptorem Cicero uocat accusatorem, quia sit particeps eiusdem muneris: Iam hoc, inquit, considerate, cuius modi accusatores in tanto iudicio simus habituri: cum & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit; & Caecilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minus uehemens fuerit, & sibi primas in dicendo partes concesserit. Vnius exemplum subscriptoris habemus infra: P. Lentulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat M. Aquillium, subscriptore C. Rutilio Rufo. Trium in ep. ad Q. fr. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribebant priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio: quattuor, ut dixi iam, in ea pro Coelio. Hoc genus hominum in iudicijs usitatum potius uidetur fuisse, quam necessarium. nam hic subscriptores Caecilius iam duos habet, qui, cum Verri nomen detulit, subscribebant: at Cicero nullum habet. Et Sempromius Rufus, ut est in epistola Coelii, sine ullo subscriptore Tuccium reum fecit. Hoc nomen, atque adeo hic subscribebendi mos locum in defensionibus non habebat: & quicumque eandem causam agerent, patroni pariter appellabantur. De numero non constat. ante L. Domitium, & Ap. Claudium eos. raro quisquam, auctore Pediano, pluribus quam quattuor utebatur. ijs consulis defensus est Scuirus a sex patronis: post bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos est peruentum. De ordine, si plures erant, ut fere in reis defendendis esse soliti sunt, perorandi locus, in quo plurimum pollet oratio, a reliquis patronis ei dabatur, qui ceteris antecellebat eloquentia. quem honorem Cicero habuit Hortensius. nam in libro de clar. or. ita loquitur Brutus: Cum partiretur Hortensius tecum causas, perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Quod si hoc Hortensius, qui propter eloquentiam rex causarum dictus est: quis dubitet, quin idem alij fecerint? itaque Balbum Cicero post Pompeium & Crassum ultimo loco defendit. Ipse tamen in eodem libro nihil ait esse uiriosius, quam ut causae singulae defenderentur a pluribus. Numerum patronorum, & ordinem agendi, atque reprehendit Antonius lib. II. de Orat. Illos quoque, inquit, errare arbitror, qui, id quod mihi numquam placuit, plures adhibent patronos: uti quemque eorum minimum putant esse, ita eum primum uolunt dicere. res enim hoc postulat, ut eorum expectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur. Sentit igitur de numero patronorum Antonius idem, quod Cicero: de ordine dissentit, cum agi causas primum uelit a melioribus. quamquam ipse quoque, quod laudat, non seruauit. nam in iisdem causis ante L. Crassum dicere solitus est: ne, si post eum audiretur, minus placeret. quod fatetur lib. I. de Orat. Princeps igitur in agendo, quia locus accusandi a iudicibus ei datus est, & quia primus agit causam, accusator dicitur: defensor autem, uel si omnibus, eandem causam agentibus, eloquentia praestet, princeps tamen in agendo, quia postremo loco dicit, nec est, nec appellatur. **ORNATISSIMVS** § instructissimus; unde Ornare classem, Ornare prouinciam. **PARATISSIMVS** § ab eloquentia. Phil. II. Inuectus est copiosius multo in istum, & paratus Dolabella, quam nunc ego. **EST tamen hoc aliquid**: § ad inscitiam Caecilij subleuandam. **ALIENVM** § gemina L. scriptum est in antiquis lapidibus. nomen hic esse proprium, infra cognoscitur. in quo miror Asconium sentire eum ijs, (sic enim uidetur) qui, Alienum, non Allienum, legebant. **A SUBSELLIIS**: § satis in iudicijs exercitatum. Subsellia erant in foro, in quibus sedebant iudices, siue priuata, siue publica causa ageretur. de his Cicero loquitur, idest de iudicijs, non de subsellijs minorum magistratuum: de quibus proprie loqui non potest: cum Subsellia commune sit nomen, non ad eos magis, quam ad iudices, pertinens. Apparet autem hoc quasi contrarium ad id referri, quod proxime de Appuleio dixerat, Vni forensi, atque exercitatione tironem. ideo subiungit: In hoc spes tuae sunt omnes. Asconius quoque ad Allieni laudem dictum accipit: ut maior irrisio sit Caecilij, qui nec a subsellijs fuerit aliquando. **QUOD ipse potest in dicendo**, § subaudiri malim, In dicendo, quam pronunciari. **ACTORIBVS** Graecis qui

qui palliatas fabulas agunt, qualis Plauti, Terentijq. sunt. **PRIMARVM**, § primas partes agere dicitur, qui saepius ad agendum regreditur: secundas, qui minus, quam ille, qui primas: tertias, quam qui secundas. **LENOCINABITVR**: § ut tu uoueris, ut tibi placere intellexerit, ita causam aget. **CIVISMODI accusatores** § Caecilium, Appuleium, Allienum. Ex illo grege oratorum, § Grege, dixit, ut oratorum nomini dignitatem detraheret. boni enim oratores pauci: grex uero constat e multis. Alij legunt, **Moratorum**, Aiconij uerbis in eam opinionem adducti. quod equidem non improbo: necessaria tamen mutatio non uidetur. **POSTVLARVNT**, § a quibus? a iudicibus, opinor. at Caecilium Appuleium, & Allienum ipse delegerat: sed mos erat, ut quattuor adhiberentur. quas partes qui sibi a iudicibus postulabant, non ab eo, qui princeps in agendo esset, deligebantur, apparet eos maioribus in causis uersari solitos non esse. **CVICVMQVE uos delationem dedissetis**. § iam delatum erat nomen Verri: ea delatio nisi iudicum sententia comprobaretur, irrita erat. delatione confirmata, (id enim est, delationem dare) sequebatur accusatio. Hoc autem ideo dicit, ut id hominum genus admodum leue significet, qui nulla causa, sed temere, sibi subscriptionem postulent, parum laborantes de exitu iudicij. nam, si Verrem condemnatum cuperent, non petissent subscriptionem, cuiuscumque uos delationem dedissetis, sed si dedissetis ei, qui maxime ad accusandum idoneus esse uideretur. **ALIENISSIMIS** § nemo paratus esse potest ex alienissimis, idest ijs, quos minime nouit. deridet igitur Caecilium, qui, fretus hominibus alienissimis, paratum se fore in iudicio credit. **HOSPES aliquis** § inopiam ostendit subscriptorum: qui, cum sint alienissimi, Caecilio tamen eorum aliquis, ut amicus, propter subscriptionis beneficium, hospitio recipiendus erit. Haec mihi placebat interpretatio: cum tamen, quae Pedianus, alijs, scribere, non contemnam. **QUAE dixerint**, § cum sibi subscriptionem postularunt. tempus enim praeteritum significari, satis ostendunt ea, quae sequuntur. **RESPONDEAM**. § ut, eos mihi addendos non esse, iudicibus ostendam. **NON consulto, sed casu**? & hoc ad contemptum eorum dixit. **SATIS FACIAM uniuersis**. § dicam, quod sufficere omnibus possit. Et statim cum indignatione quadam orditur: Tanta ne uobis inopia uideor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? **VOBIS** § aderant igitur. **QVOS mecum adduxerim**, § quorum fidei, & diligentiae possem confidere: si modo subscriptore indigerem: quo non indigeo. Id enim tacite significat. **DE POPULO** § ex alienissimis, ex illo grege. **ADDATVR**? § non postulanti, non indigenti, recusanti potius, & inuito. Plautus Aul. Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit, Quem quondam Ioui Iuno custodem addidit; Is numquam praeterea seruet tibicinam. **CAUSAM praeripere** § quae mihi uni tradita est, ad uos transferre. uerbum, Praeripere, fidem eorum in dubium adducit. non enim dicit, Ut eandem causam mecum simul agere, sed, Praeripere mihi, oblitere, & impedire, ne reus accusante me condemnetur. **A COLUMNNA Maenia** § ad quam in foro infames rei, fortis infimae, & obscurae conditionis, ut fures, & serui nequam, (hos enim exempli causa Pedianus nominat) accusabantur. in oratione pro Sextio, qui graui aere alieno premerentur, ad eam columnnam a creditoribus uocari solitos esse, inuehens in Gabinium significare Cicero uidetur his uerbis: Qui olim, ne Scylleo illo aere alieni in freto ad columnnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat. Eiusdem columnnae apud Sex. Pompeium est mentio. **VESTRIS ordinis** § nullius estimationis. **CUSTODEM**, inquit, § fingit aliquem dicere, si subscriptoris locum obtineat, utilem in eo quoque causae futurum, quia, ne praeuaricari Tullius possit, diligenter animaduertet. **DE ISTO custode roto** § de toto subscriptorum genere. **Hos tales uiros** § iudices: quorum de subscriptoribus addendis potestas hoc loco perspicue demonstratur. **REFORMIDAT**. § ne, si quis consilia mea noverit, enunciet ijs, quibus ut occulta sint, opera danda est. **HUNC librum** § de quo supra: Quem tibi magister ludi nescio quis, ex alienis orationibus compositum, dedit. **TE** § qui Siculus & ipse es. **VNUM eximium fuisse**. § unum exceptum esse. non ille te unum exemit, cum omnibus Siculus iniurias faceret. Terentianum loquendi genus, in Hec. Ut neminem habeam in eximium? **PER TE** § qui accusationem tibi dari postulas. **ID QVOD non potes**, § non enim facultatis in te tantum est, ut iniurias tuas ipse per te persequi possis. **SINT impunitae**. § nam te actore reus elabetur. ita nec tu iniurias tuas, nec Siculi suas ulciscuntur. **QVI debeat**, § qui maximam acceperit iniuriam.

O R A T I O

QVOD, si ei potissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui maximam C. Verres iniuriam fecerit: utrum tandem censes hos iudices grauius ferre oportere, te ab illo esse laesum, an prouinciam Siciliam esse uexatam, ac perditam? opinor, concedis, multo hoc esse grauius, & ab omnibus ferri grauius oportere. concede igitur, ut tibi anteponatur in accusando prouincia. nam prouincia accusat, cum

is agit causam, quem sibi illa defensorem sui iuris, ultorem iniuriarum, actorem totius causae adoptauit. At eam tibi C. Verres fecit iniuriam, quae ceterorum quoque animos posset incommode commouere. Minime, nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur, quae causa inimicitiarum proferatur. cognoscite ex me: nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam proferet.

EXPLANATIO

ADOPAVIT. § adsciuit, delegit. infra: Illa erat causa iustissima, quod eum sibi Achaei patrum adoptarant. Et Vatinius ad Cic. Quem potius adprem, aut intocem, quam eum, quo defendente uincere didici. **NISI** plane nihil sapit, § simul enim proferret improbitatem suam. **AGONIS** est quaedam Lilybaetana, § usitatum narrationis initium, de quo diximus in ea pro Quinctio, ad illud, C. Quinctius fuit P. Quinctij huius frater.

ORATIO

AAGONIS est quaedam Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae, quae mulier ante hunc quaestorem copiosa plane, & locuples fuit. ab hac praefectus Antonij quidam symphonicos seruos abducebat per iniuriam, quibus se in classe uti uelle dicebat. tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Veneriorum, & eorum, qui a Venere se liberauerunt, ut praefecto illi religionem Veneris, nomenq. obijceret, dixit, & se, & omnia sua Veneris esse. ut hoc quaestori Caecilio, uiro optimo, & homini aequissimo, nunciatum est; uocari ad se Agonidem iubet: iudicium dat statim, si pareret eam se, & sua Veneris esse dixisse. iudicant recuperatores id, quod necesse erat. neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. iste in possessionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in seruitutem adiudicat: deinde bona uendit: pecuniam redigit. ita, dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis, ac religione retinere uult, fortunas omnes, libertatemq. suam istius iniuria perdidit. Lilybaeum Verres uenit postea. rem cognoscit: factum improbat: cogit quaestorem suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem adnumerare, & reddere. est adhuc, id quod nos omnes admirari uideo, non Verres, sed Q. Mucius. quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem, aequius ad leuandam mulieris calamitatem, uehementius ad quaestoris libidinem coercendam? summe haec omnia mihi uidentur esse laudanda: sed repente e uestigio ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres: redit ad se, atque ad mores suos: nam ex illa pecunia magnam partem ad se auertit: mulieri reddidit, quan-

tulum uisum est. Hic tu, si laesum te a Verre esse diceres, patiar, & concedam: si iniuriam tibi factam quereris, defendam, & negabo. Deinde, de iniuria, quae tibi facta sit, neminem nostrum grauiorem iudicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. si tu cum illo postea in gratiam redisti; si domi illius aliquoties fuisti; si ille apud te postea cenauit: utrum, te perfidiosum, an praeuaricatorem existimari mauis uideo esse necesse alterutrum. sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus, utrum uelis, eligas. Quid, si ne iniuriae quidem, quae tibi ab illo facta sit, causa remanet? quid habes, quod possis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponere? nisi forte illud, quod dicturum te esse audio; quaestorem illius fuisse, quae causa grauis esset, si certares mecum, uter nostrum illi amicior esse deberet: in contentione suscipiendarum inimicitiarum ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendum periculum instam uideri oportere. etenim, si plurimas a tuo praetore iniurias accepisses; tamen, eas ferendo, maiorem laudem, quam ulciscendo, mererere: cum uero nullum illius in uita relictus factum sit, quam id, quod tu iniuriam appellas; hi statuent, hanc causam, quam ne in alio quidem probarent, in te instam ad necessitudinem uiolandam uideri? qui, si summam iniuriam ab illo accepisti: tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla uituperatione accusare. si uero nulla tibi facta est iniuria: sine scelere eum accusare non potes. quare, cum incertum sit de iniuria; quemquam esse horum putas, qui non malit te sine uituperatione, quam cum scelere, discedere?

EXPLANATIO

ANTE hunc quaestorem copiosa plane, & locuples § furtum Caecilij iam incipit indicare. Mos hic Cicero nis est, criminis ostendendi, ante quam rem ipsam exponat. Sic lib. II. Heraclitus est, Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suae nobilis, & ante hunc praetorem uel pecuniosissimus Syracusanorum. Lib. III. Agrinensis est, in primis honesta ciuitas Siciliae, hominum ante hunc praetorem locupletium, summorumq. oratorum. Lib. IV. Ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit, ut urbi quoque esset ornamento. Ibidem: Domus erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent, etiam si praeterea nihil esset argenti, patella grandis, patera, turibulum. Cum enim dicit, Ante hunc praetorem expilatas a Verre, exinanitasq. Siculorum domus indicat. **ANTONII** § lib. II. Postquam M. Antonij infinitum illud imperium senerant. Hic post praeturam curam habuit, infinito cum imperio, totius orae maritimae: &, indicto Cretensibus bello, morbo periit. unde lib. III. in Verr. Antonium, cum multa contra sociorum salutem, multa contra uoluntatem provinciarum & faceret, & cogitaret, in medijs eius iniurijs, & cupiditatibus mors oppressit. Alconius, epitome, Velleius, alij. Filius fuit M. Antonij oratoris, pater eius, qui cum Octauiano, & Lepido remp. oppressit. **VENEREORVM** § qui se Veneri consecrarunt. **SE LIBERARVNT** § hi sunt Veneris liberti, in quibus erat Agonis: Veneri uero serui, non liberti. **VIRO optimo, & homini aequissimo,** §

ironia: ut e sequentibus patet. *IVDICIVM* dat statim, & dat recuperatores, in haec uerba: Si pareret, eam se, & omnia sua Veneris esse dixisse. Dare iudicium, ueteres dicebant, pro iudices dare, certa quadam uerborum formula, a qua discedere non liceret. exemplum formulae a Caecilio dare, hoc est: Si pareret, eam se, & omnia sua Veneris esse dixisse. Legendum autem, Si pareret, non, Si pateret: cum tamen sensus idem sit, sed multis in locis, ubi, Paret, fuit, repositum est, Apparet, ignoratione ueterum formularum; in quibus, Paret, fuisse, pro, comparet, apparet, auctor est Festus. Ideo lib. II. in Verr. lego: Si paret, fundum Capenatem. Si paret. lib. III. Si pareret, iugera eius modo fundi. Lib. V. bis. Et pro Roscio Com. Si paret; HS 1000 debent. Instit. lib. III. tit. 15. Perinde ei condici potest, si paret eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. Et lib. I V. tit. 6. Certum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, si paret eum dare oportere. Et ibidem proxime: Si pateat eos dare oportere. Et tit. 13. Qua de causa efficax est aduersus eum actio, quam actor intendit, si paret eum dare oportere. Theophilus, si ouerai, dixit: & addidit lib. I V. tit. 6. καταδικασον & δικασα: quod est, Condemna eum iudex. apud Latinos subauditur: ut exemplis intelligitur. *LILYBAEVM* & ubi iudicium dederat Caecilius. quae tor enim Lilybaetanus erat: cum esset alter Syracusanus. *Q. MUCIUS* & qui pontifex max. fuit, collega L. Crassi oratoris in consularu. eum Damaspinus praetor, ex uoluntate C. Marij iunioris consulis, cum alijs optimatum principibus, occidit. Velleius, Appianus, Cicero lib. III. de Orat. Asiam rex ita innocenter, ut senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum Scaeuolae administrationis decreto suo proponeret. Valerius Max. lib. II X. cap. 15. Eiusdem innocentia lib. II. in Verrem laudatur his uerbis: Quis erit post-hac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucij innocentiam referatur, si cum isto conferatur? Ibidem paullo post: Cicero non Q. Scaeuolae, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. *REPENTE euestigio* & uenit in mentem suspicari, ne alterutrum abundet. *FACTVS est Verres* & iocatur ambiguo Verris nomine, quasi, factus est sus: cum in reddenda Agonidi pecunia homo uisus esset. sus autem ita repente factus, tamquam Circaea potione, nam Circe socios Ulyssis, ut fabulatur Homerus, in sues mutabat: *DEFENDAM, & negabo* & refellam, quod obijcis Verri; & negabo tibi iniuriam esse factam. laedimur enim & iure, & iniuria. laesus es iure, ergo iniuriam non accepisti. *DE INIURIA, quae tibi facta sit*, & quam tu iniuriam appellas, tibi quae facta esse dicis. Et, Facta sit, non facta est, Cicero dixit, quia, Est, affirmabat iniuriam Caecilio esse factam: Sit, non affirmat ex persona Ciceronis, uerum ex persona Caecilij; ut si dixisset, De iniuria, quam tibi factam esse dicis. *PERFIDIOSVM*, & si eum uehementer accusabis, perfidiosus eris: cum te in gratiam postea cum illo redijsses, negare non possis. sin remisse, ac leuiter; praenariicatoris culpam subibis. Ne iniuriae quidem causa remanet, & iniuriae causa pecunia fuit adempta tibi, & Agonidi reddita. quod si Verres rursus eam pecuniam ad te transtulit, iniuriae causa non remanet. Hoc Cicero significat, nec tamen perspicue narrat; quia probare non poterat, quod inter solos Verrem, & Caecilium, nullo teste, transactum erat. itaque satis habet, iudices conijcere, incertum esse de pecunia Caecilio data, uel non data: quod infra quoque ostendit his uerbis: Cum incertum de iniuria sit; quemquam esse horum putas, qui non male te sine uituperatione, quam cum scelere, discedere? *TE SINE uituperatione* & si non accusas praetorem tuum: uituperatio nulla est. si accusas, cum de iniuria sit incertum: scelus a te committi, homines fortasse credent, ob eam necessitudinem, quae inter quaestorem, & praetorem est. quod igitur ere tua est, id statuent iudices, actorem te non esse deligendum: ut sine uituperatione potius, quam cum scelere, discedas.

ORATIO

At uide, quid differat inter meam opinionem, ac tuam. tu cum omnibus rebus inferior sis, hac una re te mihi anteferri putas oportere, quod quaestor illius fueris. ego, si superior ceteris rebus esses, te hanc uiam ob causam accusatorem repudiari putarem oportere. sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiore, neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officij, quam publicam muneris societatem. quamobrem, si iure eum possis accusare, tamen, cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses. cum uero neque iniuriam acceperis, & praetori tuo periculum crees: fatearis, necesse est, te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. etenim illa quaestura ad eam rem ualet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, eum, cui quaestor fueris, accuses; non ut ob eam ipsam causam postu-

landum sit, ut tibi potissimum accusatio detur. neque fere umquam uenit in contentionem de accusando qui quaestor fuisset, quin repudiaretur. itaque neque L. Philoni in C. Seruilius nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter insignitatem repudiatus est, sed ne libido uiolanda necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur. atque ille ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum. quaestor enim Albutij fuerat, ut tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. semper haec causa plurimum ualuit: semper haec ratio accusandi fuit honestissima, pro socijs, pro salute provinciae, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere. etenim, si probabilis est eorum causa, qui in-

inurias suas persequi uolunt, qua in re dolori suo, non reip. commodis seruiunt: quanto illa causa honestior, quae non solum probabilis uideri, sed etiam grata esse moueri?

EXPLANATIO

CONIUNCTIONEM sortis, & supra: Sortis religionem. Sors igitur, ut a dijs immortalibus profecta, religione coniungit. et Phil. III. Sors diuina appellatur. **IVRE** & ut iniuriam tibi illatam persequeris. **NE QVE** iniuriam acceperis, hic negat iniuriam Caecilio a Verre esse factam: supra incertum esse dixit. **Cn. Pompeio** & Straboni, Pompeij Magni patri. **T. ALBVCIVM**: & qui post praeturam Sardiniae praefuerat: ut in orat. pro Postumo, & in Pisonem, & lib. II. Off. **ATQVE** ille Cn. Pompeius & glossema esse, Cn. Pompeius, quis non uidet? **C. IVLIO** & Strabone, qui lepore, & facetijs excelluit: ut lib. I. Off. ideo de ridiculis disputat lib. II, de Orat. accutauit pro Sardis Albucium: ut lib. II. Off.

ORATIO

NVPER cum in P. Gabinium uir fortissimus & innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, & contra Q. Caecilius peteret, isq. se ueteres inimicitias, iamdiu susceptas, persequi diceret: cum auctoritas, & dignitas Pisonis ualebat plurimum, tum illa erat causa iustissima, quod eum sibi Achaei patronum adoptarant. etenim, cum lex ipsa de pecunijs repetundis sociorum, atque amicorum populi R. causa comparata sit; iniquum est, non cum legis indicij. actorem idoneum maxime putari, quem auctorem causae suae socij, defensoremq. fortunarum suarum potissimum esse uoluerunt. an, quod ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo uideri debet aequius? utra igitur est splendidior, utra illustrior commemoratio: Accusauit eum, cui quaestor fueram, quicum me fors consuetudoq. maiorum, quicum me deorum hominumq. iudicium coniunxerat: an, Accusauit rogatu sociorum atque amicorum; delectus sum ab uniuersa prouincia, qui eius uira fortunasq. defenderem? dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum causa, apud quos quaestor fueris, quam eum, cuius quaestor fueris, accusare? Clarissimi uiri nostrae ciuitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumq. ducebant, ab hospitibus clientibusq. suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi R. ditionemq. essent, iniurias propulsare, eorumq. fortunas defendere. **M.** Catonem illum sapientem, clarissimum uirum, & prudentissimum, cum multis graues inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias. nuper Cn. Domitium scimus **M.** Silano diem dixisse propter unius hominis Egritomari, paterni amici, atque hospitis, iniurias. neque enim magis animos hominum nocentium res unquam ulla commouit, quam haec maiorum consuetudo longo intervallo repetita, atque relata. Sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum: susceptae ab eo, qui uidebatur eorum

fortunas fide, diligentiaq. sua posse defendere. hoc timent homines: hoc laborant: hoc institui, atque ad eo institutum referri, ac renouari moleste ferunt. putant fore, uti, si paulatim haec consuetudo serpere, ac prodire coeperit, per homines honestissimos, uirosq. fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores, leges iudicia, administrantur: cuius consuetudinis, atque instituti patres maioresq. nostros non paenitebat, tum, cum P. Lentulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat **M.** Aquilium, subscriptore C. Rutilio Rufo; aut cum P. Africanus, homo uirtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, postea quam bis consul, & censor fuerat, L. Cottam in iudicium uocabat. iure tum florebat populi R. nomen: iure auctoritas huius imperij, ciuitatisq. maiestas grauis habebatur. nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine paruis opibus, ac facultatibus praedito, simulant sese mirari: cum moleste ferant, Quid sibi iste uult? accusator em ne se existimari, qui antea defendere consueuerat? nunc praefertim, ea iam aetate, cum aedilitatem petat. ego uero aetatis non modo meae, sed multo etiam superioris, & honoris amplissimi puto esse, & accusare improbos, & miseros calamitososq. defendere. & profecto aut hoc remedium est aegrotae, ac prope desperatae reip. indicijq. corruptis, ac contaminatis paucorum uitio, ac turpitudine, homines ad legum defensionem, iudiciorumq. auctoritatem quam honestissimos, & integerrimos, diligentissimosq. accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla unquam medicina his tot incommodis reperietur. nulla salus reip. maior est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite, ac fortunis suis per timefcere. itaque semper ij diligentissime, laboriosissimeq. accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis uenire arbitrati sunt.

EXPLANATIO

IN T. Gabinium? qui Achaiam administrauerat. **DEORVM, hominumq.** & deorum, ob sortem: hominum, ob morem maiorum, qui hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam uoluit esse. **QVAE** in amicitiam populi Romani, ditionemq. essent, & pro, in amicitia, ditioneq. sic locutus

hic locutus pro Quinctio : Ex eo tempore res esse in uadimonium coepit . Pro lege Manilia : Cum ue-
stros portus in praedonum fuisse potestatem sciatis . Animaduertit hoc Gellius lib. I. cap. 7. *APVD*
quos consul fuerat , & ex quibus etiam triumphauit . *NUPER* & C. Maſio , C. Fimbria cos. ut ait Asco-
nius in Corneliāna , idest ante annos xxxiii . *CN. DOMITIUM* & tribunum pl. Sed , Nuper , dixit ,
habitatione superiorum temporum . exemplum enim attulerat M. Catonis , qui multis annis ante
Domitium fuerat . sic lib. II . Fecerunt hoc multi apud maiores nostros , fecit etiam nuper homo cla-
rissimus *Cn. Domitius* , qui M. Silanum , consularem uirum , accusauit , propter Egritomari , trans-
alpini hospitis , iniurias . M. *SILANO* & consulari , qui cum Cimbris male rem gessit : unde accusa-
tus a Domitio . Asconius in Corneliāna . *DIEM dixisse* & Diem dicere , est id quidem accusare , sed in
hoc differt , quod accusant priuati homines , & magistratus , diem uero dicunt soli magistratus : idq. pro-
prium tribunorum pl. fuit . in Bruto : Nec sane plus frater eius M. Virgilius , qui tribunus pl. L. Sul-
lae imperatori diem dixit . Pro Milone : Diem mihi , credo , dixerat , multam irrogarat . Pro Flacco :
Adiungis causas inimicitiarum , quod patri L. Flacci , aedili cur. pater tuus , tribunus pl. diem dixerit .
lib. III . Off. L. Manlio A. F. cum dictator fuisset , M. Pomponius tribunus pl. diem dixit , quod is
paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset . Ep. 2. lib. I . ad Q. fr. Si diem nobis Clodius dix-
erit , tota Italia concurrerit . Liuius lib. III . Cum diem Appio Virginius dixisset , Appius stipatus pa-
tricijs iuuenib. in forum descendit . Et lib. XXII . Scipioni Africano duo Q. Petillij diem dixerunt .
Suetonius in Caesare : Subornauit etiam , qui C. Rabirio perduellionis diem diceret . Huc spectasse ui-
detur Plautus , cum in Capt. dixit :

His diem dicam : irrogabo multam , ut mihi cenas decem
Meo arbitrato dent .

NON inertissimum : & modestius laudare se ipsum non potuit : sicuti cum subiungit , Qui uidebatur
posse defendere . nam , Videbatur , non affirmat . Et cum ait , Fide , diligentiaq. sua : omiſſa ingenij
mentionē . Simile illud in uituperando lib. II . Heraclium hominem esse maiorem natu , non promptis-
simum . *HOMINES* & nocentes uidelicet . *ADOLESCENTULOS* & idem supra . *NON p aenitebat* , &
fructum enim eius consuetudinis capiebant maximum ex amore sociorum : qui nunc afflicti , ac perditii
iam non salutis spem , sed exitij solatium quaerunt . P. *LENTULVS* , & auus eius Lentuli , qui cum
Catilina coniurauit : ut in Catil. & pro Domo . *PRINCEPS senatus* & Princeps senatus dicebatur ,
quem censes in recitando primum legissent . sic Princeps equestris ordinis , quem in recitandis equi-
tum centurijs primum legissent . M. *AQUILLIVS* & duo M. Aquillij fuere , uterque consularis : prior
a P. Lentulo , alter , eius , ut opinor , filius , a L. Fusio accusatus , & , M. Antonio defendente , ob
seruiliis belli memoriam , ab eo feliciter in Sicilia confecti , liberatus . lib. II . Off. lib. V . in Verrem ,
lib. II . de Orat. *AFRICANVS* , & minor , Paulli filius . L. *COTTAM* & consularē . defensum esse
a Metello Macedonico , scriptum est in Bruto : septies ampliatum , in Valerio : absolutum , in oratio-
ne pro Mur. *SIMVLANT sese mirari* : & non mirantur , sed ideo mirari se simulant , quia moleste fe-
runt . cur autem , quod Africano licuit , id mihi non liceat , homini paruus opibus , ac facultatibus praedi-
to ? *PAUCORVM uitio* , & corruptelam ad paucos redigit : ne uniuerso ordini senatorio , qui tum
res iudicabat , notam inurat improbitatis . *QUAM HONESTISSIMOS* , & ad dignitatem refertur . fere
enim homines dignitate praediti a turpitudine deterrentur . itaque subiungit : Nulla salus reip. maior
est , quam eos , qui alterum accusant , non minus de laude , de honore , de fama sua , quam illos , qui
accusantur , de capite , ac fortunis suis , pertimescere . Haec autem ad excludendum accusatione Cae-
cilium pertinent .

ORATIO

QUAMOBREM hoc statuere , iudices , debetis ,
Q. Caecilium , de quo nulla umquam opinio fue-
rit , nullaq. in hoc ipso iudicio expectatio futura sit ,
qui neque , ut ante collectam famam conseruet , neque ,
uti reliqui temporis spem confirmet , laborat , non ni-
mis hanc causam seuerē , non nimis accurate , non ni-
mis diligenter acturum . habet enim nihil , quod in of-
fensione deperdat , ut turpissime flagitiosissimeq. disce-
dat : nihil de suis uesteribus ornamentis requiret . a no-
bis multos obsides habet populos R. quos ut incolumes
conseruare , tueri , confirmare , ac recuperare possimus ,
omni ratione erit dimicandum . habet honorem , quem
petimus : habet spem , quam propositam nobis habe-
mus . habet existimationem multo sudore , labore , ui-

gilijsq. collectam : ut , si in hac causa nostrum offi-
cium , ac diligentiam probauerimus , haec , quae dixi ,
retinere per populum R. incolumia , ac salua possi-
mus : sin tantulum offensum , titubatunq. sit , ut ea ,
quae singulatim ac diu collecta sunt , uno tempore uni-
uersa perdamus . Quapropter , iudices , uestrum est ,
deligere , quem existimetis facillime posse magnitudi-
nem causae , ac iudicij sustinere fide , diligentia , con-
silio , auctoritate . uos , si mihi Q. Caecilium anteposue-
ritis , ego me dignitate superatum non arbitrabor ;
populus R. ne tam honestam , tam seueram , diligen-
temq. accusationem neque uobis placuisse , neque ordi-
ni uestro placere arbitretur , prouidet .

EXPLA.

IN ACTIONEM I. CICERONIS

IN VERREM

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS



ARGVMENTVM

REVERSVS e Sicilia Tullius, quo, post uictum Caecilium, impetratumq. a iudicibus accusandi locum, ad colligendas in Verrem litteras, denunciandaq. testimonia profectus erat, hanc orationem habuit. in qua, sumpto a uita Verris initio, quae ille primus Cn. Carbonis consulis quaestor, deinde Cn. Dolabellae, Ciliciae prouinciae praetoris, legatus, & proquaestor, tum in praetura urbana, postremo in Sici-liensi per triennium patrauerat, ita percurrit, ut singulorum tamen criminum magnitudinem patefaciat. Hac narratione Verre in odium iudicum adducto, aggreditur alteram partem, in qua spes Verris ostenditur de causa in annum sequentem producenda: non solum ut Glabrimonem praetorem, singulari praeditum integritate, ac sapientia, simulq. iudices, uiros optimos, atque iustissimos, effugiat, quos pecunia sua corrumpi posse non confidit: uerum etiam, ut ope, auctoritate, studio Q. Hortensij, patroni sui, & Q. Metelli, amicissimi, qui iam designati consules erant, praeterea M. Metello praetore, sui studiosissimo, de pecunijs repetundis quaerente, alijs iudicibus, elabatur. quod si accidat, ijs, quorum culpa suorum scelerum impunitatem Verres erit affecutus, inimicum se, accusatorem, aduersarium odiosum, assiduum, acerbum fore profitetur: sed, ne accidere possit, consilio & ratione iam prouidisse: nolle, quod fieri solet, in explicandis criminibus operam, tempusq. consumere, & oratione perpetua eloquentiae laudem quaerere: nouo se usurum agendi genere, quod unicum esse contra Verris insidias remedium putet, ut eum tabulis, testibus, litteris, auctoritatibus accuset: ita fore, ut, omisso legitimo tempore, ad dicendum dato, testibus ad singula crimina citatis, tota celeriter ad exitum accusatio perducatur. Nec eum fefellit opinio. nam Verres, noua accusandi ratione fractus, ac debilitatus, amissa patrocinijs spe, in exsilium sua sponte abiit. Consilij sui exposita necessitate, monet iudices, atque hortatur, operam dent, ut conceptam per aliquot annos, paucorum culpa, turpitudinem, atque infamiam iudiciorum, opportunitate temporis diuinitus dati, in uno reo, omnium, qui umquam in iudicium adducti sint, nocentissimo, pecuniosissimo, audacissimo, sua aequitate, integritate, sapientia deleant, atque tollant. Minas addit: paratum se esse, si Verris opes plus, quam ueritas, legesq. ualuerint, ad corrupti iudicij dedecus omni ui, ac seueritate persequendum. Praetorem Glabrimonem ad suscipiendam integritatis, fidei, religionis causam, liberandum infamia senatum, tuendam domesticam laudem, uehementer excitat. qui ne sibi cum consilio mutetur, quod spectabat Verres, conaturum se, atque effecturum esse confirmat.

M. TVLLII